

НБ ОНУ імені І.І.Мечникова

JOHANNIS CLAUBERGII  
**SPECIMEN**  
LOGICÆ CARTESIANÆ.

*SCU*  
**MODUS PHILOSOPHANDI**

UBI  
CERTA CARTESIANORUM  
VERITATEM INVENIENDI VIA

**Ostenditur, & in quibusdam**

Novæ Introductionis in Philo-  
sophiam Aulicam veritas paucis  
expenditur.

*Studio*  
**PAULI MICHAELIS RHEGENII,**  
N. A. Claud. Tr.

*1689*  
**LIPSIÆ,**  
**Sump. HERÆD. FRIEDER. LANCKISIL**  
Anno M. DC LXXXIX.

VIRIS

GENEROSIS, NOBILISSIMIS,  
SPECTATISSIMIS, &c. &c.

DN. EHRENFRIED WALTHER  
DE TSCHIRNHAUS,  
Dynastæ in Kislingsvvaldau &  
Stoltzenberg &c.

DN. JOHANNI JACOBO AB  
HARTIG,  
Hæreditario in Harnitz, JCto, Consuli h. &  
Regenti & Gymnasii Zittaviensis Scho-  
larchæ primario,

Nec non

NOBILISSIMIS, RERUM POLITICARUM  
PERITIA & USU SPECTATISSIMIS

DN. JOHANNI CHRISTIANO  
MAIERO,

Collegii Senatorii Zittaviensis Reipublicæ  
Membro dignissimo,

DN. MICHAELI GROMANNO,  
J. U. L. & ibidem Zitt. Practico  
Celeberrimo.

DOMINIS, PATRONIS & BENEVOLIS  
CUM CIRCA OBSERVANDIS  
Salutem & utriusque Vitæ Felicitatem!

Cana

(o)

Cum eo in loco sitis  
positi, *Viri Generosi*, &  
*spectatissimi*, ut nullū  
tempus excipere possitis,  
quod gravioribus negotiis  
surreptum non videatur,  
summæ temeritatis reus  
forem, si longiori oratione  
vos morarer, quantumque  
virtutes *VESTRAS* admirer,  
& quibus argumentis im-  
pulsus, coram *VESTRIS*  
Generosis Amplit. compa-  
rere, hocq; levidense char-  
thaceum munusculum ad  
pedes *VESTROS* humillima  
vene-

• ☈ (o) ☈

veneratione deponere au-  
sim, recenserem. Namque  
eò faciliùs hoc audere po-  
tui, quò frequentiùs jucun-  
da celebris *Zittavie* recorda-  
tio animum meum sub-  
ibat, ubi Vos Nobil. Ampl.  
Viri, tanquam totidem ere-  
ctæ mentis Salomones co-  
gitabam.

At verò, quomodo *tri-*  
*Generosissime* Domine de  
TSCHIRNHAUS, Dn. in  
Kiesliengswalda, & Stol-  
tzenberg, obliviscerer, cu-  
jus quotidie præclara & in-  
geniosè inventa castigatio-  
ris

• ☈ (o) ☈

ris hujus ævi Philosophie-  
mata oculis observantur,  
manibus tractantur. Mente  
discantur. Accedit quod  
ejusmodi sit eruditio *Ves-  
tra*, ut si quid à me dictum  
sit, quod nauseam nonnullis  
fortassis creare posset, be-  
ne deco *Vos* præclareq; judi-  
care valeatis. Ne nunc de  
singulari *VESTRA*, Dn. MA-  
JERE, & Dn. Licent, GRO-  
MANN humanitate, quæ  
multis mihi argumentis  
perspecta fuit, dicam, quæ-  
que ita animum inundavit,  
meum ut nihil unquam in-  
ter-

terris magis mihi volupe  
esset, quam Vos proprius  
aspicere, alloqui, Vesta-  
que in rem Christianam  
studia proprius intueri. Sed  
nulla spes me tenet hujus  
voti unquam compotem  
fore, cuius nullam aliam  
possum magis rationabi-  
lem assignare causam, nisi  
quod *summus rerum arbiter*  
non annuat, cuius voluntati  
non obsequi, læsi Sacro  
sancti illius Nominis foret  
piaculum. Interim affectus  
profectò meus semper Vos  
mihi sistit in Domino, in  
quo

quo omnes Vos & video &  
diligo semper, imò colo  
atque observo. Et cum nì  
hil ad manum sit, quo vos  
prometeri liceat, hanc qua-  
leme cunq; opellam, VOBIS  
æternū observantiæ mex  
in testimonium consecra-  
re, & ad divinam VESTRI  
favoris & amoris aram su-  
spendere non vereor. Et  
quod nihil quicquam Hu-  
manitatis & verecundiæ le-  
gibus adversum aut abso-  
num committam, super  
AMPL. GENEROSITATIS VES-  
TRÆ benevolentia, fluctu-  
antem

antem Animum cum voluptate sedo. Scio equidem plerosque in hac esse sententia, nulla re magis Patronorum animos demereri posse, quam Auro, Argento, Gemmis & id genus muneribus: At ego longe satius esse duco, perpendere, qua Fide, quo Candore, qua deniq; sinceritate & voluntatis alacritate, quisq; sibi Patronos demererit stu-  
duerit. Magna enim inge-  
nia nonnunquam plebeis rebus delectantur, nec rei solum quæ datur, vel usum  
vel

vel defectum; sed alacrem magis dantis promptitudinem respiciunt: Generosorum enim Virorum est magna dando, parva acci-  
piendo lœtari; quippe ani-  
mi Præcelsi & prorsus Re-  
gii est, vel ab infimæ sortis hominib' collata non asper-  
nari; verum serena fronte accipere. Et, ut *Artaxerxis*  
& *Alexandri M.* taceam *Socrati*  
cum multa multi pro suis quisque facultatum modu-  
lis offerent, pauper ejus Au-  
ditor *Æschines* ait ad Socra-

X 5 tem:

tem: Nihil dignum Te quod dare  
 Tibi possem invenio, & hoc uno mo-  
 do pauperem me esse sentio: Itaq;  
 dono Tibi, quod unum habeo me-  
 ipsum; hoc munus rogo qualecumq;  
 sit, boni consulas, cogitesq; altos  
 cum multa Tibi darent, plus sibi re-  
 liquisse: At Socrates: Quidni  
 Tu mibi magnum munus dederis,  
 nisi forte parvo Te estimas? Habe-  
 bo itaq; cure, ut Te meliorem Tibi  
 reddam, quam accepi. Hanc i-  
 taq; quantulamcumq; mu-  
 nificentiam Æscbinis VESTRI,  
 ut sereno vultu admittatis,  
 è longinquò missi Benjami-  
 nis munus ne contemnatis,  
 tali benigno quali offertur  
 animo, & lætis auspiciis af-

sumatis

sumatis & excipiatis, ade-  
 oque humanitatis supparo  
 tegatis, est quod humillime  
 oro. Reperietis in hoc o-  
 pere difficultates quasdam,  
 quæ paulò secus, quam  
 vulgò fieri solet, expediun-  
 tur. Ubi, postquam eas  
 per indulgentiam otiorum  
 vestrorum oculis perluc-  
 straveritis, aut judicio inge-  
 nii VESTRI, velut alicui ly-  
 dio lapidi affricaveritis,  
 hoc unicum à Vobis mihi  
 donari velim, ne cum rem  
 non probaveritis, conatum  
 damnetis. Ego interim Su-  
 ) ( 6 pre-

• (o) •

premium Numen de votis  
sollicitabo precibus , ut  
Vos, Viros Generosissimos  
Nob. atque Amplissimos,  
Lusatiae nimirum splendo-  
rem ; Zittaviæ Fœlicissi-  
mæ, Prudentissimum atq;  
Consultissimum Patrem;  
Æquitatis , & Charitatis  
Familiæ Tutores, diutissi-  
me virere , & in Eximia di-  
gnitate , summæ virtutis  
gloria florere usque ad ul-  
timum Vitæ fugitivæ hali-  
tum finat, & tandem Fidei  
immarcescibilem Coro-  
nam,

• (o) •

nam, Vitam æternam gra-  
tiosè porrigat; V. V.

Dabam Lipsiæ  
Musæ meo  
Anno M. DC. XXCIX.  
die 20. Febr. st. v.


Gen. Nob. Amplissimarum  
Vestiarum Dnūm

Devotissimus Cultor

Paulus Michael Rhegenius,  
N. A. Claud. Tr.

PRAE-

PRÆFATIO,



PRÆFATIO  
AD CORDATUM

LECTOREM.

**A**Qvo à Præceptorum ferulis, & Pædagorum sceptris exire, pulveremque scholasticum, cum ameniori ac liberiori studiorum genere commutare mibi licuit; Nihil magis in votis habui, quam ut pro modulo tenacitatis mee, certam evidenter que rerum utilium ac per se dignissimarum notitiam compararem. Cumque pro more eorum, qui non bōc solum nituntur & contendunt,

ut

PRÆFATIO.

ut in republica literaria, nescio qui pedantei senatores evadant, animum ad libertatem Philosophandi applicuisse, (quæ nihil aliud, quam libertas judicandi secundum rationem est) animadvertis per antiquam & communissimam Scholarum & Academiarum consuetudinem in tradenda Philosophia, nihil aliud prestare, quam ut Aristotelis nos à latere tantum cursores efficiat. Hinc, partim amor veritatis, partim etiam aliorum. non sine successu veritatem extra Aristotelem quarentium exempla monebant, cavendum esse, ne nimis scrupulosè Aristotelis tantum vestigia premendo, adeoque utiles & scitu dignissimas veritates, que bac mundi senecta præ omnibus aliis & humanitatis, & prudentia, & ex-

peri-

## PRÆFATIO.

perientia, & solidioris etiam scientiæ feracissima est, tanquam temporis filius feliciter in lucem edit negligendo turpi errore memet ipsum deciperem. Considerabam mecum prima Aristotelica Philosophia in orbe Christiano auspicia, qua talia deprehendo, ut si ullibi, hoc certe in casu locum habeat civilis prudenter Canon, à Verulamio lib. 2. de augmento scientiarum Jacobo Magna Britannia Regi adscriptus: In omni, inquit, vel consuetudine vel exemplo tempora spectanda sunt, quando res cœpta; in quibus si vel confusio regnaverit, vel inscitia, derogat illud imprimis autoritate rerum, atque omnia suspecta reddit. Tanta enim seculi istius, quo à Carolo Magno principum schole aperta, Aristoteles ipse est introductus, fuit rudi-

tus

## PRÆFATIO.

tas, ut Clerici, teste Campanella, vix jam legere scirent, ipsique Cardinales, Pontificem, qui Sylvester secundus putatur, sepelire nollent in sarcis, propterea quod invenerint in ejus cubiculo librum Mathematicis figuris exaratum, & putarent esse Negromantiam. Nec mirum cum à Gotbis, Vandalis, Saracenis, aliquis Barbaris, Philosophorum Bibliotheca vastate, exuste atque perdita, omniumque bonarum artium studia extincta erant. Hinc à Christianis Principibus diuturni in Scholis silentii ac multiplicis ignorantie persistis, non ex delectu aliquo, qui tunc temporis nullus dabatur, neque exactaratione, neque ex eorum, qui de retorta communicare poterant, consilio, sed ut urgente necessitate cum meliorum ignorantia conjuncta fieri solet, ex cœco tantum & Valde

## PRÆFATIO.

valde flagranti desiderio, sine examine & magna cum veneratione, in Scholis & Academis admittebatur. Hanc itaque tam malè fundatam, tot malis successibus multatam, & non ob perspectam ejus utilitatem, vel soliditatem, sed quia ab ineptissimis & ad sempiternas tenebras damnatis Scholasticæ Philosophiae Doctoribus probatam & stabilitam, Philosophia aut potius speciosa Servitutis Aristotelice in Christianorum Scholas introductio-  
ne minoris facere cœpi. At vero postquam vera libertatis assertoris, ac Philosophie inflauratoris felicissimi Renati des Cartes divina invenia incidi, quibus equidem ego inter ea, qua natural lumine investi-  
ganda sunt mortalibus, præstantiora adhuc non invenierim, tunc deum perspexi Philosophos Peripa-  
teticos

## PRÆFATIO.

teticos vulgarem sequentes Philo-  
sophiam, qua uti ortum suum ab  
ethnicis, ita incrementum suum à  
Monachis & Jesuitis habet, laborio-  
sè nihil agere, nec tam progreedi  
studere, quam festinanter morari  
consilere. Devovéant ergo licet se  
illi sacrificio Aristoteli, addicant se  
Philosophis, autoritate Nestorea  
potius, quam Achillea ratione mili-  
tantibus, satagant quounque di-  
stinctionum pollinctu condire inter  
mortuum doctrinæ Peripatetica ca-  
daver, & in causa religionenont tam  
glorie quam pudoris superstitem  
reddere conentur: Mea pietas erit,  
huic Philosophie Parenti, sensu jam  
& ratione defuncto, exequias ire,  
facto per oblivionem sepulchro. Sed  
quid? An imaginaria quadam li-  
bertate me pascam? & me, ob ele-  
ctionem & collectionem variarum  
opi-

## PRÆFATIO.

opinionum suo ingenio arridentium,  
qui se Electicos Philosophos ap-  
pellitare solent, numero adjungam?  
Absit, ut tam suavi insomnio me de-  
ludi patiar, neque enim libertatem  
Philosophandi constituo in vaga au-  
thorum lectione, & ex illis quic-  
quid pro lubitu arriserit, congesio-  
ne, neque eum liberum judico, qui  
modo huic, modo contrarie parti  
assentitur, adeoque quod nunc af-  
firmat, libertate eadem negat, &  
vice versa, ut qui modo hujus, mo-  
do alterius Philosophi sit servus. Nos  
itaque nihil contumelias atq; ca-  
sumias vanissimum hominum  
curantes in Cartesii liberam Philo-  
sophandi societatem descendimus.  
Enim vero Cartesiana methodo  
philosophari, est liberè philosophari,  
estque de essentia Philosophi Carte-  
siani esse liberum, etiam si in verba

Caro

## PRÆFATIO.

Cartesii juret NB. Hujus methodi  
bic Specimen Tibi, Cordeate Lector,  
una cum aliquot Consectariis in In-  
troductionem Philosophie Aulicæ  
Doctissimi authoris exhibeo, tardi-  
us quidem, quam quorundam, non  
tam veritatis amore legendi, quam  
cavillandi, desiderium flagitabat,  
& pauciora quam pro materia di-  
gnitate dici poterat; Sed quæ nos le-  
unculis, ex speluncis suis egredi ni-  
tentibus, & non solum mussicare,  
sed & rugire, mordere, & deniq;  
totum bunc libellum cum Cartesio  
peßundare & deglutire conantibus  
in offam reservamus. Nec enim sum  
falsus vates, certo futurum esse, me  
in eam tempestatem descensurum,  
ut plurimi ex lectoribus, ea, qua  
neuiquam deprehensione digna  
sunt, insectentur, eorumq; ponderi  
sufflamen injicere pertentant, aut si  
nihil

## PRÆFATIO.

nihil incusent, frigite tamen de illis  
judicent, tum propter pecularem  
methodum, tum propter insufficien-  
tem satisfactionem, quorundam ex-  
pectationi in retorquendo telo ad-  
versariorum: Ubi tamen scire eos  
velim, meum non fuisse institutum,  
quenquam hoc loco insectari, verum  
Cartesiana tantum Logice Speci-  
men exhibere, & quidem secundum  
mentem Clarissimi Claubergii alio-  
rumque Illustrium Cartesianorum.  
Sed non laborabo talium bominum  
fastiosam querimoniam expugna-  
re, nec tales & similes momes me-  
minisse hic ullius est opera, præterire  
maxima humanitatis. Si illis non  
sem placiturus, noscant me non  
omnibus scripsisse, paucis lectoribus,  
sed bonis & ingenuis gavisum fuisse.  
Interim tamen futuris illis vitili-  
gatoribus pro suis insectationibus,

## PRÆFATIO.

& odio nostri & veritatis bonam  
mentem optamus: Quid de me ju-  
dicent, ipsi viderint. De Te autem  
Benevole Lector aliter sentio, cum  
enim Te ut Cordatum & Candidum  
considerem, nulius dubito, quin con-  
culcatis aliis vilissimarum anima-  
rum quisquis, id facturus sis, quod  
Te dignum erit, hoc est, Te rem  
omnem intellectu defecato prius  
percepturum, & tunc demum judi-  
cium Tuum maturum esse laturum.  
Hoc ne commotius prestes, valeta-  
dinem Tibi integrum, ut veritatis  
osoribus mentem sanam appreco.  
Vale, & si Benevolum Te invenero,  
aliorum communicationem  
expecta.





SPECIMEN LO-  
GICÆ CARTE-  
SIANÆ,  
Seu  
MODUS PHILOSO-  
PHANDI,

CAPUT I.  
Prolegomena.

I.  
Vanqvam nulla res æ-  
qvabilius fit distributa  
qvam bona mens; adeò  
ut nemo meliorem,  
qvam possideat optare  
consvererit.

2. Nihilominus tamen certissi-  
A                   num

## SPECIMEN

mum esse experimur, tantam extare opinionum varietatem, ut vix duo de re aliqua in omnibus consentire videantur.

3. Unde illud enatum: *quot capita, tot sensus.*

4. Interea hoc quoque certissimum est, quod haec opinionum diversitas non procedat ex eo, quasi alii aliis majore rationis vi esse mus donati,

5. Sed ex eo, quod cogitationem nostram, non per easdem vias du camus, vel etiam ad easdem res, ea accurata attentione, qua opus, attendamus.

6. Atque hinc illa lachrymæ, de variis errorum nostrorum idolis; hinc querimonia de difficultate assequendi illud *bonum*, cuius desiderio mens nostra tantopere flagrare animadvertisit.

7. In cuius *boni* disquisitione, nemo mortalium est, qui modo ali qvan-

## LOGICÆ CARTESIANÆ. 3

quantisper sibi sit attentus, illud in cognitione veritatis & ejus fru tione fundari, negare audeat.

8. Unde etiam uno omnes ore confitentur, ejus nos studio & scrutinio debere occupari.

9. Ut, licet errorum immunes evadere haud possimus, saltem ut eò rarius erremus.

10. Frustra enim in hac vita errorum immunitatem ambias, ac proinde in vanum etiam perfec tam beatitudinem sperabis.

11. Nihilominus quia manet assiduum desiderium libertatis ab erroribus, assiduo pariter labore nos incumbere decet in erroribus nostris depellendis.

12. In quo egregio opere licet plurimi desudaverint, irrito tamen ut plurimum, si *Verulamium* excipi as, conatu.

13. Nemo tamen majore cum felicitate & prosperiore successu il

SPECIMEN

4

Iud aggressus est, qvam renascen-  
tis & denuo exorientis Philosophiæ  
verus ille Phosphorus, D. RENA-  
TUS des CARTES.

14. Hic enim primus in eas  
cognoscendi vias incidit, per qvas  
non difficile fuit pervenire ad co-  
gnitionem qvarundam regulu-  
rum, secundum qvas meo judicio  
mens ratione prædicta actiones *in-*  
*tellectus & voluntatis suæ dirigeret*  
netur.

15. Qvarum ope plurima Natu-  
ræ arcana reclusit, Philosophiæ cla-  
vem exhibuit, atq; viam ad rerum  
immotam veritatem perveniendi  
aperuit.

16. Atq; ad illud altum cogni-  
tionis fastigium pervenit, qvod  
ipsum hodierno tempore omnium  
eruditorum miraculum fecit, eam  
que nominis existimationem ipsi  
peperit, qvam omnes vani sermo-  
nes,

LOGICÆ CARTESIANÆ. 5

nes, omnesq; eorum obtrectatio-  
nes, qvì gloriæ ejus invident, nun-  
qvam poterunt extingvere.

17. Dolendum profectò, qvod  
plurimi, non infimi subsellii viri,  
hanc veritatem investigandi vi-  
am, utpote qvæ tām felici successu  
gaudet, aut non sciunt, aut nesci-  
re volunt, atq; negligunt.

18. Sed nescio qvam Prudenti-  
am, Methodum, & viam ad verita-  
tem Philosophicam perveniendi,  
magno interim Studiosæ Juventu-  
tis præjudicio excogitant.

19. Unde fit ut tandem, sero ni-  
mis qvi eam seqvuntur, à veritatis  
via se aberrasse animadvertentes,  
eo difficiilius & majori cum labore  
in rectam viam redeant, qvo lon-  
gius ab ea discesserunt.

20. Imò verò accidit, ut ejasmo-  
di incognitis viis insistentes, eo  
tricarum delabantur, unde se ex-  
pediundi vix ulla tandem detur  
copia.

A 3

21. Ne

21. Ne autem imposterum ingenuus veritatis indagator, sic inter avia periclitetur, sed ut tuto ad veritatis arcem, brevi, jucunda & certa via pervenire possit.

22. Specimen hīc exhibebimus ejus methodi, qvam Illustris Cartesius & ejus exemplo Clarissimus Claubergius, cum aliis Excellētissimis viris non irrito conatus sunt.

23. Qvia autem hodie hæc via à qvibusdam Cartesio mastigis variis præjudiciorum sentibus est obscurata, iis remotis, quantum fieri poterit planam eam reddem⁹.

24. Non tamen præter rem litigia qværemus, sed solum modeste quid nobis in nuper edita *Introductione in Philosophiam Aulicam* Doctissimi D. Thomæ displaceat, & quo fundamento nixi contrariam in multis teneamus sententiam, in Conjectariis exponemus.

25. In plurimis enim Viro Doct facile assentimur.

### CONSECTARIA.

26. Qvod si viæ accurata methodo inventæ Clarissimus Vir, qvalis Cartesianorum est, qvæ etiam ut facile mihi persuadeo, satis cognita Ipsi fuit institisset, neqve novam excogitasset, nunqvm præjudiciorum eos accusare præsumisset.

27. Neqve faciliori qvam ante hac methodo, viam ratiocinandi planam, facilem se detexisse; & palam aliis præripuisse tam serio sibi perswasisset.

28. Facile enim deprehendisset, neminem ex vulgo Philosophorum, tam circumspecte in præjudiciis amoliendis incedere, qvā quidem Cartesianos, ut qui tam diu dubitationis remedium, in investigatione veritatis adhibent, do-

nec aliquid certi deprehenderint,  
de quo impossibile sit dubitare.

29. Neque etiam Viro Clariss.  
fuisse metuendum, ne loco veri,  
falsum (quod tamen pace Viri  
Doct. dixerim evenisse certus sit)  
arripuisse censeatur.

30. Ego tamen nequam tam  
tum mihi sumo, ut Viro tam multi-  
juga eruditione Claro, hic contra-  
dicendo nimium insultem, cuius  
animus a polemicis concertatio-  
nibus, hodierno die nimis prohdo-  
lor! inter doctos usitatis, semper  
abhorruit.

31. Neque eo animo hoc speci-  
men in lucem prodire facio, ut ali-  
quam obscuritatem, luci ejus im-  
pingat:

32. Sed solum ut benignus lector  
animadvertere valeat, injuriam a-  
liquam fieri vere Cartesianis, præ-  
judiciorum accusatis.

33. Simil ut habeant aliquam no-  
titiam

titiam Logicæ Cartesiano acumine  
inventæ, cuius ministerio, tantos  
sibi progressus, in investiganda,  
unica, & simplicissima veritate Phi-  
losophica polliceri, ut ausus, ita  
consecutus est.

34. Et spero Doct. Virum, pro  
sua humanitate & prudentia, quæ  
pollet, eandem dissentendi liber-  
tatem mihi concessurum, quæ ipse  
ulus est adversus omnes à fere dis-  
sentientes.

35. Cæterum publice hic prote-  
stor, quod si qui calumniis & con-  
vitiis certare insurgant, me nihil  
eorum more repositurum, ne in me  
ipsum sim injurius.

36. Neutrum enim, quicquid  
prætexantur, ingenuos & pruden-  
tes decet, & ut passim docet experi-  
entia, in authores suos, cum dede-  
coris fœnore plerumque redit.

37. Sin rationibus, ceu Viros ho-  
nestos & veri cupidos decet, hujus

A 5 spe-

speciminis pretium expendere instituerint, habituros, in quibus aberraverint modestum adversarium, in quibus veriora monstraverint, gratum ad stipulatorem.

## CAPUT II. De Natura Logicæ.

1.

**V**eram ad veritatem proveniendi methodum esse Logicam, nemo facile in dubium vocaverit.

2. *Logicam* dico non illam, cuius præcepta omnia & singula ad syllogismum tendunt, non aliter atque omnes lineæ ad centrum in aliquo circulo.

3. Non illam, cuius ope *Sophistæ* olim, nullam solidam scientiam habentes, de qualibet re copiose disserabant ac disputabant.

## LOGICÆ CARTESIANÆ. 11

4. Non illam inquit, cuius tres præcipue numerantur partes, quarum *prima*, continet locos, ex quibus rationes petuntur; *Secunda*, formas Syllogismorum, quibus illæ vestiantur, ut meliores apparent; *Tertia*, distinctiones, quibus adversariorum argumenta eludantur.

5. Nam licet huic viitligandi studio, primæ potissimum in eruditione partes tribuantur, & ii, facile ad aliquam doctrinæ atque ingenii famam perveniant.

6. Nihilominus tamen ut *verè dicam*, quod res est, tale *Logicæ*, vel verius *Dialecticæ* studium est damnosissimum, non tantum adultis, sed maxime junioribus, qui, dum ei assuefcunt, & ex opinione doctrinæ, per ipsum acquisita superbiunt, rationem suam naturalem, qua alioquin ætate possent matrascere, plane corrupunt.

7. Sed illam dico *Logicam*, qvæ menti nostræ errori obnoxiaæ in indaganda veritate auxiliatur, estque *Ars recte ratione utendi.*

8. Interim nos absolutè Logicæ aut Dialecticæ vulgaris usum non rejicere, sed comparatione demonstrationis & analyseos eam aspernari.

9. Scimus enim maximam esse differentiam inter Logicam analyticam, demonstrativam, scientificam, qvam Aristoteles in posterioribus Analyticis docuit; & Dialecticam popularem, disputatricem, de qua ab Aristotele agitur in Topicis.

10. Et hanc qvidem præ illa nullo penè loco ab Aristotele dottiissimisque Aristotelicis haberi, indicio est id, qvod Clariss. Franco Burgersdicius in præfatione suæ Logicæ scribit.

11. In Topicis, inquit, traduntur  
præ.

præcepta disputandi ex iis, qvæ vera sunt probabilia, in Sophistico, ex iis, qvæ probabilitatem fucata fronte mentiuntur. In Analyticis traditur ratio disputandi seria, veramque scientiam adipiscendi.

12. Hinc est, inquit ulterius, qvod sape Analyticum disputandi artificium, Topico ad eum modum opponatur, qvo accurata qualibet opponi solent iis, qvæ tantum leviter adumbrata sunt.

13. Neque improbamus causarū, effectorum &c. investigationē, sed argumenta ab externis illis locis, causæ, effecti, &c. vi maximarum istarum nimis generaliū, & non ex intima rei natura petita parvi pendimus.

14. Vim syllogismorum nullus Cartesianorum, cum ipse Cartesius utatur iis deridet, sed debiles dialecticorum rationes formis syllogismorum vestiri dicimus, ut fortiores appareant.

15. Ne-

15. Neque distinctiones rejicimus, ut infra docebit secunda nostra regula, sed eas distinctiones, quæ non ex propria rei natura desumuntur, verum adeo generales sunt, ut in omni difficultate locum inveniant, flocci facimus.

16. Eiusmodi Dialecticam damnonissimam esse ei adsuescentibus, ex opinione doctrinæ per ipsam acquisitæ superbientibus, & hos rationem suam naturalem corrumpere dicimus.

17. Qvod inde probamus, quia ista ratione ab intima rerum consideratione abducuntur, ac de iis quvarum naturas & proprietates nesciunt, multa sine judicio loqui adsuescunt.

18. Dialectica enim dum nos divertit ac digredi facit in tot locos communes & capita quæ rei extima sunt; abstrahit ab ipsâ rei natura.

19. Sed videamus Logicæ nostræ Car.

Cartesianæ naturam, quæ ut clarius appareat, dividimus eam in *Geneticam* & *Analyticam*.

20. Geneticam dicimus, quæ intellectum dirigit ad rectam formationem seu genesin suarum cogitationum.

21. Analyticam vocamus, quæ intellectum dirigit ad convenientem resolutionem seu analysis alienarum cogitationum.

22. Genetica Logica iterum duas habet partes.

23. *Prior* dirigit intellectum in ordine ad seipsum seu ut ipse quidvis rite cognoscatur.

24. *Posterior* dirigit intellectum in ordine ad alium, sive ut cognitionem apte aliis communicet.

25. Pari ratione Logica Analytica quoque in duas dispescitur partes.

26. *Prior* facit ut intelligamus quæ & quales sint alienæ cogitationes

nes viva voce aut scripto prolatæ, hoc est, ut verum sensum cognoscamus externi sermonis.

27. *Posterior* efficit, ut agnoscamus an tales illæ cogitationes sint quales esse debent, hoc est, ut veritatem & falsitatem, consequentiam & inconsequentiam sermonis externi dijudicemus.

28. Hinc nascitur plena Logica quadripartita, cuius varia sunt ad diversa, propter differentes admodum fines, præcepta ac documenta.

29. Cùm vero Cartesio Methodum investiganti non esset proposatum ab aliis discere, ideo totam Logicam quam vocavi Analyticam, tanquam à suo instituto alienam aliis reliquit.

30. Cum etiam docere alios eo tempore non institueret, sed tantum mentem propriā vellet cognitione informare & studio discendi ex semetipso incumbere.

31.

31. Manifestum est quod omissis posterioris Geneticæ Logicæ præceptis sola debuerit eligere, quæ ad priorem pertinent.

32. Cùm ergo ait se in Dissertatione de Methodo, Logicæ præcipuas partes tradidisse, de solis primis erit intelligendus.

33. Quanti alias Logicam Cartesius faciat, abunde patet in eadem Dissertatione de Methodo, quando demonstrat se nihil prius, nihil diligentius quam veram Methodum inquisivisse, & potissimas illius regulas constantissime observasse.

34. Interim fatendum est Cartesium quatuor sua Methodi præcepta, non voluisse, toti reipubl. literariæ ad quoscunq; Logicæ universæ fines assequendos extendere.

35. Optime enim sciebat, Logicam docere quomodo recte ratione nostra uti oporteat.

36.

ET RABHIET  
O. G. N. M. I.  
J. S. N. 573

36. Et quod rectus usus rationis non in eo solum neque præcipue consistat, ut cum adversario contendas aut alicuius authoris scripta retexere valeas;

37. Verum ut ubique, sive tecum sive cum alio agas, sive ad res sive ad personas de rebus loquentes animum convertas, recte percipias, recte judices, recte ratiocineris.

38. Et quomodo memoria retinere valeas ea quæ recte percepisti ac judicasti; quomodo item docere alios scientiam aptissimè possimus quomodo denique sensum dediti vel scripti obscurioris genuinum invenire oporteat. &c.

39. Nos tamen in explicandis Cartesii regulis, quæ ad primam Geneticæ Logicæ partem proxime pertinent, ubiorem earum usum patet faciemus, atque etiam ad reliquias Logicæ partes eas extendemus.

40. ll.

40. Illius enim quadripartita prima portio simul est fundatum seqventium. Sed videamus primum differentiam inter hunc nostrum & veterum Philosophandi modum.

### CONSECTARIA.

41. In hoc consectario non est quod memoriam, quia licet quæ huc spectarent ex Cap. IV. p. 90. 98. & alibi De Prudentia cogitandi quædam deprehendantur obscura & ambigua, sano tamen sensu explicata facile admitti possunt.

42. Cætera majorem partem sunt recensiones historicæ, de *Inventione*, de *Distinctione*, & *Definitione Logicæ*, ex quibus plurimæ ipsi quidem Viro Doct. placent, quare iis recensendis & examinandis supersedebimus. Unicum tamen obiter notari velim.

43. Nimirum quod hanc suam Logi-

Logicam Vir Clar. nominet Prudentiam cogitandi, & tamen putet esse partem Philosophiæ rationalis, qvod mihi contradictorium videri ego qvidem non diffiteor, maxime si prudentiam accipiat stricte.

44. Etenim Prudentia non est Philosophiæ rationalis seu Theoreticæ pars, sed Practicæ, etiam secundum illos, qui Aristotelem presso pede seqvuntur.

45. Illi enim ut notum est in duas partes Philosophiam dividere amant, in Theoreticam nimirum & Practicam.

46. Pars Theoretica illis complectitur tres scientias, Metaphysicam, Mathematicam, & Physicam, qvarum finis est contemplatio.

47. Pars Practica comprehendit totidem prudentias, Ethicam, Oeconomicam, & Politicam, qvarum finis est praxis.

48. Hinc videri potest, qvod se-

cun-

cundum hanc Philosophiæ partitionem Logica non possit dici pars Philosophiæ, multo minus Prudentia.

49. Prudentia enim ad mores pertinet, ut constat, & cum virtute necessario coniuncta est; at vero Logica seu ars cogitandi non est necessario coniuncta cum virtute, potest enim quis bonus esse Logicus, licet nihil minus sit quam bene moratus; Semper etiam ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes accommodat prudentia: qvod cum Logicæ officio minus congruit.

50. Sed qvod si etiam tripartitam Philosophiæ divisionem spectes, nimirum in *Moralem*, *Naturalem* & *Rationalem*. Prudentia revera non erit pars Philosophiæ rationalis.

51. Hæc enim nihil aliud est, quam ars quamdam & scientia intelligendi, quemadmodum *Moralis*, bene

bene beateq; vivendi. Naturalis sensibilia per intelligibiles causas explicandi.

52. Et qvemadmodum Philosophia Moralis, in bono eligendo voluntatem, ita Philosophia rationalis intellectum in veritate detegenda perficit, atq; rationis scientiam tradit.

53. Et qvia ratio seu intellectus à sensu sejunctus in se unicus & simplex est, neq; in eo error locum habere possit, hic ut puto prudentia locum vix habebit.

54. Deinde istud qvoꝝ notari velim, qvod prudentia non prædictetur de Logica seu de arte cogitandi in qvæstione, qua qværitur quid sit.

56. Est enim prudentia habitus cum ratione actionis, circa ea qvæ homini bona sunt vel mala, dirigit hominis intellectum in cognitione rerum agendarum.

Ovis

Qvis autem hæc Logicæ applicare audeat?

57. Præstabat igitur dicere *artem aut scientiam*, quam deinde per habitum aptissime definire doct. Vir poterat, egregia illa definitione sua, quam adhibuit §. 26. cap. 4. Introduct. suꝝ, dicendo:

58. Logica seu ars cogitandi est habitus cogitationes nostras recte dirigendi & determinandi ad veritatis consecutionem in rebus maxime intelligibilibus &c. Cetera bene se habent.

### CAPUT III. De Veterum Philosophandi modo eorumq; Se&tis.

**U**T modus Philosophandi veterum tam verus quam falsus, manifestius nobis appa-

appareat, seriem temporum & periodos spectabimus, quibus vel in bonam vel in malam partem insignis ejus mutatio accidit.

2. Prima tempora si spectemus, quibus primum incepisse videtur philosophandi studium inter homines; censeri possunt ea fuisse, quibus veritatem ac veram scientiam cœperunt querere & ex parte comprehendere.

3. Ac proinde si omnes homines natura scire desiderent, debuerunt inde ab initio pariter esse affecti.

4. Unde non aliud philosophandi, quam generis humani videri posset initium fuisse, atque ita omnes à natura essemus Philosophi.

5. At mea quidem sententia longe alter de Philosophia studio est sentiendum, neq; tam aliquid ducenda origo ejus.

6. Si quidem dubium est, an omnes

mnes homines ut oportet, natura scire desiderent.

7. Et an ut videri volunt, ament & comprehendant veritatem, quam nos amare & comprehendere docet Philosophia.

8. Non enim omnis scientia, non omnis veritas est Philosophia propria.

9. Sed ea tantum, quæ rerum in seipsis spectatarum secundum verum intellectum est.

10. Adcoque una tantum est, quemadmodum verus intellectus unicus est.

11. Habent enim artes ac disciplinæ omnes veritatem ac scientiam aliquam, quam tamen distingvere debemus à Philosophica.

12. Sed ad periodos accedamus, quibus vel in bonam vel in malam partem mutatus est verus Philosophandi modus.

13. Prima Periodus est eorum, qui

primum apud Barbaros, postea Græcos Sapientes vocabantur, qui tamen non tam Philosophi quam cordati tantum viri fuere, ut *Anasbariss*, qui de Scytharum & Græcorum legibus scripsit ad vitæ informationem & frugalitatem,

14. *Bias* qui ad duo millia versum qua ratione quis felix esse possit:

15. *Periander* qui ad duo millia monita: *Cleobolus* carmina & obscuras sententias ad tria millia scripsere ut de iis, qui theogonias quemadmodum *Epimenides* præ aliis fecit, scripsere taceam.

16. Et hactenus quidem prima veterum Sapientia partim mythica seu fabulosa, partim civilis fuit.

17. Hi de Logica, quantum literis proditum est, ita non cogitabant ab initio uti nos, sive spectetur ut scientia rationis, sive ut ars differendi, ut postea spectata fuit.

18. Non poterant de ea cogitare ut

ut de prima rationis scientia, quia res humanas tractabant, quæ fluxæ & mutabiles, atque ideo incerta sunt natura sua, qvoniā voluntas vel affectus intervenit.

19. Unde etiam firmum & immobile non requirebatur in iis veri & falsi judicium, ut in scientiis requiri mus, quarum veritas instar ipsorum rerum determinata est.

20. Hos secunda est Secunda Periodus, quæ eorum est, qui sepositis Reipublicæ negotiis cœperunt naturam rei contemplari.

21. Atque hi non Sophi, verum Philosophi, studiosi & amatores Sapientiæ vocabantur.

22. Hi non contenti prima veterum Philosophandi ratione, aliam quærebant multo subtiliorem.

23. Hic antecessores fuere imprimitis *Thales Milesius*, hinc *Pythagoras*, & mox etiam *Xenophanes Colophonius*,

23. Hi sunt trium Principum se-  
ctarum, à quibus omnes alix pro-  
fluxerunt, *Jonice, Italice & Eleaticæ*  
conditores, quanquam ab initio  
non videatur hoc divertium inter  
eos extitisse.

24. *Thaleris æqualis & amicus fu-  
it Pherecydes Sirius.* Utricq; addi-  
ctus fuit *Pythagoras*, qui ut divina  
humanis misceret, Græcis myste-  
riis initiatuſ, ad Sacerdotes & A-  
stronomos in Ægyptum, ad Chal-  
dæos & Magos in Asiam fuit pro-  
fectus.

25. Qvorum sapientia imbutus,  
qvod patria ejus tyrannide oppri-  
meretur in Italiā venit, leges Ita-  
lis dedit & Schola instituta disci-  
pulos suos in Mathematica, qvæ  
ipsis pro Logica erat, ad ingenii  
exercitationem instituebat.

26. Primis annis silentium im-  
perabat auditoribus, quibus inter-  
rogatis aut̄s ē Pha ipse dixit respon-  
diffe

disse sufficiebat postea tamen su-  
um cuiq; permittebat judicium, ut  
eorum, quæ audiverant, rationes  
apud se inquirerent.

27. *Xenophanem* quod attinet, hic  
propius ad *Ibaletem*, quam *Pytha-  
goram* accedens, vitæ civilis &  
dignitatis contemtor fuit, & ut ali-  
quanto solutiore animo Philoso-  
phari posset regnum fratri conceſ-  
tit, solus secessit, & vitam in mon-  
tibus duxit.

28. Hujus & *Heracliti* Philosophi-  
am quod attinet, quemadmodum  
ipſi Physici erant, cum cæteri ex  
parte etiam Theologi essent, vi-  
dentur Deo & animæ corpoream  
naturam tribuisse.

29. Neq; à corporeo sensu, qui in-  
certus & mutabilis est, ob materiæ  
conditionem, intellectum, qui  
immutabilis atq; ideo certus est,  
eo, qvo oportet modo distinxisse.

30. Unde factum est, ut bene

constituere non potuerint, veri & falsi, boni & mali judicium.

31. Sine qvo tamen nihil unquam firmum & stabile in Philosophia esse potest.

32. At verò *Pherecydes* & cum eo *Thales* & *Pythagoras*, præ omnibus autem, qvi hos seqvutus est, *Anaxagoras*, aliquanto melius Dei & animæ naturam à natura corporis distingventes, rectius intellectum à sensu distinguere & cuiq; judicium tribuere suum potuerunt.

33. Qvo constituto non adeo difficile est boni & mali, in vita & moribus judicium.

34. Sic fuit Secunda Periodus Veterum in Philosophando, atque hi videntur mihi vadum tentasse & partim penetrasse, partim tamen impegiisse.

35. Restat Tertia Periodus, ubi multo plura consideranda veniunt, quoniam hæc docentium, dispu-

tantium, & sectas facientium fuit.

36. Et licet hæc in prima & secunda jam habuerit initium & fundamentum qualecumq; suum.

37. Quia tamen simplicitas adhuc durabat, nec omnia ad usum in communi vitâ referebantur, melior Philosophandi facies deprehenditur.

38. At vero postquam Rhetorica & Dialectica magis ac magis excolerentur, verior & simplex forma Philosophandi, quæ in Secunda Periodo obtinebat, cum Philosophi remotam à communi sensu & nudam veritatem qværerent, sic paulatim immutata est.

39. Ut Periodus Tertia seqveretur, contentiosa, garrula, sophistica, quia non tam rebus quam verbis & captionibus studebat.

40. Antecessores in hac Periodo fuere præ aliis *Gorgias* & *Protagoras*,

ras, non tam Philosophi, quam Rethores & Sophistæ tantum.

41. Hos Cicero dicit, *primos discendi magistros fuisse, qui docere se proficiebantur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset.*

42. Nec aliter se in Philosophia gerebant, inutilia, paradoxa, absurdâ contra communem sensum & verum intellectum defendendo, ac in publicis congressibus, ubi intelligi non possent, de iis disputando.

43. Protagoram quod attinet, is Democriti sapientia & fama ad Philosophiam invitatus, ea ex parte imbutus quidem, at Zenonis Dialectica & ingenio suo, quod leve & vagum erat, abusus fuit.

44. Idem, ut Laërtius refert primus orationum certamina spectavit, & sophisma suggessit iis, qui contentione delectabantur. Et omissa

missa re de nomine differuit ac superficiale & leve illud contentionis genus introduxit, docuitq; ad qvæstiones argumenta aptare.

45. Hæc prima novæ formæ initia erant qvoad tertiam Periodum quam Rethores & Sophistæ dedere.

46. Emendata tamen deinde nonnihil, perversa hæc Philosophandi ratio, primo à parte Rethorum & Sophistarum ab Isocrate, qui cum confusam dicendi rationem à Gorgia & Protagora Sophistis acceptisset, primus subtilitate differendi & naturæ obscuritate relicta, ad orationes civiles se contulit, cuius illum esse fructum advertit, ut in eo versati qui sunt, utilia deliberent & agant.

47. Horum alii in forensibus causis excellebant, alii in publicis negotiis & administratione Reipublicæ, alii res à Barbaris &

Græcis gestas in literas referebant.

48. Verum hæc una tantum emendatio erat, qua saltem Rhetores facti sunt boni Oratores, cum paulatim desinerent esse Philosophi & Sophistæ.

49. Altera emendatio, qva debuissent esse boni Philosophi, Socratem habuit autorem, unde Philosophia Parens est dictus.

50. Hic in Philosophia quidem Anaxagoram & Archelaum Physicos audivit, qui non verbis, sed rebus, non persuasioni & captioni, sed veritati erant intenti.

51. Atq[ue] hinc satis magnum in Socrate videtur fuisse veritatis studium; Sed Gorgia tamen & Protagore partim, partim Empedoclis & Zenonis disciplina, hic ipse Socrates, qvit tantus videbatur Philosophus etiam Rhetor & Sophista factus est.

52. Atq[ue] seposita naturæ contem-

templatione, primus cœpit de vita ratione differere.

53. Hoc tamen cum discrimine, qvod cum aliis, in conventibus poscerent questionem, de qva quisq[ue] audire vellet, & vel soli dicerent, vel plures inter se contenderent.

54. Hic, adeo modestè, tum publice, tum privatim inter familiares differebat, ut cum cœteri Philosophi multa, Sophistæ videri vellent omnia scire, ipse cunctis persuadere conaretur, se nihil scire, præter hoc unum quod nihil sciret.

55. Sic aliorum temeritatem & confidentiam nonnihil temperare volens, id effecit, ut error cum errore permutatus, ex uno duplex fieret.

56. Quatenus ab eo tempore Philosophi partim dubitabant nimium, partim nimium credebant, multa temerè affirmando, qvæ nondū clara habebant & perspicua.

57. In hac itaque tertia periodo, causa mali, quod ad Philosophos attinet, ad Socratem referenda erit.

58. Quatenus Dialectica & Oratoria sua, miscendo opiniones ac dogmata, quæ parum convenient, incertam & malè cohærentem formam Philosophiæ dedit, quod nullam certam formam habens, in mille potuit sectas & factiones scindi & adhuc scinditur quotidiè.

59. Qui Socratem præ aliis secuti sunt, & novam sectam non condidere, Aeschines & Xenophon fuerunt, non tam Philosophi quam Oratores.

60. Alii Socratis sectatores, qui adhuc pro Philosophis habitu sunt, novam omnes sectam condiderunt.

61. Ac primo quidem Dialectici ac Sophistæ occurserunt, qui non tam rebus, quam captioni, subtili-

tati & verbis intenti, mox iterum Oratores facti sunt.

62. Inter hos agmen dicit Euclides Megarenſis, ad quem post obitum Socratis, Plato atq[ue] alii auditores concesserunt.

63. Hic adeò fidelis & sincerus sectator Socratis extitit, atque ita promovit inchoatas ab aliis Dialecticas contentiones, quarum captione & subtilitate non parum Philosophia erat corrupta, ut qui ipsum secuti sunt Eristici, Contentiosi & Dialectici dicerentur.

64. Qvod postea peculiaris sectæ fuit nomen, petitum ab arte, qua se jactabant, & modo quo tractabant Philosophiam.

65. Qui porro post Stilponem & Menedemum, secuti sunt, aliquanto magis Philosophi iterum fuere.

66. Ut Cynici Antisthenem, Cyrenaici Aristippum, veteres Aca-

demici sive Platonici Platonem  
sunt secuti.

67. Hinc Stoici à Cynicis, Epicurei &  
Cyrenaici, Peripatetici ab Academi-  
cis sive Platonicis, non nihil de-  
ixerunt, Zenone, Epicuro, & Aristote-  
le antecessoribus.

68. Sed quia necdum satis bene  
constitutum erat, veri & falsi judi-  
cium, alii iterum contenderunt, ni-  
hil esse certi.

69. Atqvi hi, Pyrrhonii, Sceptici,  
& novi Academicci fuere, certam  
disciplinæ formam non admit-  
tententes.

70. A quibus non multum dista-  
re Eclesticos putamus, qui postea  
secuti sunt.

71. Sed ut de Dogmaticis aliquid  
dicamus, ac primò quidem de Cy-  
nicis, hi, duritiem, austерitatem,  
atque impudentiam, qvo eos du-  
cebat genius eorum seqvuti,

72. Cyrenaici vero mollitiem,  
volu-

voluptatem & elegantiam professi,  
vitæ instituto & moribus, cæteri  
autem, qvod ita singulares non  
essent doctrina potissimum diversi  
erant.

73. Quandoquidem Cynici sua  
duritie, Cyrenaici sua mollitie do-  
ctrinam contemnentes, conten-  
debant virtutem solum in opere  
confistere, non verbis, non disci-  
plina indigere & hanc solam veram  
& non fucatam Philosophiam esse.

74. Qvo videntur imitari volu-  
isse Veterum sapientiā, quæ quan-  
tum literis proditum est, etiam in  
opere versabatur.

75. Hinc Stoici cum Cynicis, E-  
picurei cum Cyrenaicis si conten-  
dantur, tum inter se, tum ab aliis di-  
versi fuere.

76. Epicurus enim contentus e-  
rat Naturali ac Morali Philosophia,  
amabat autem in utrâque Jonicam  
& Eleaticam simplicitatem, atqve  
hinc

hinc omnem ferè aliam disciplinam atque doctrinam contemnebat, putans dispari hac mixturâ corruptam esse Philosophiam.

77. Logicam verò, quia videbat ea se carere non posse, quoad veri & falsi judicium, Canonicae titulo tractabat, paucis regulis comprehensam.

78. Hic primò veritatem sensui, deinde intellectui tribuebat, supponens nihil quicquam in intellectu esse, quod prius non fuerit insensu.

79. Sicque putabat, de omnibus rebus, secundū communes notiones nos debere judicare, unde evidentiam insensu, veritatem in intellectu videbantur habere.

80. Hanc intellectus veritatem veteres *anticipationem* vocabant.

81. Sed hæc Epicuri Philosophandi ratio ad communem sensum accommodata, licet minus contentiosa, non tamen vera &

certa

certa fuit, quia nimirum sensibus & corpori tribuens, recte non constituit veri & falsi judicium, ut in animo & intellectu est.

82. Zeno & Stoici imprimis non aliam, quam Epicurus, de veri & falsi judicio opinionem habent, veritatem pariter in communi sensu secundum evidentiam, in intellectu vero secundum anticipationem, quæ petita à sensu erat, supponendo solum, & non ostendendo, cur, & quâ ratione sit, aut non sit, ut sâpe non est.

83. Interim Dialecticam atque Rheticam pariter à Philosophia non removebant, imitati veteres Sophistas, & qui eos sequuti erant Dialecticos & Contentiosos.

84. Putabant enim utramq; posse, imo debere pro una arte haberi, instar pugni & palmae ut loquebantur, quæ una manus sunt, contracta tur, scilicet & explicata.

85. Cumque hoc pacto neque Stoici veram Logicam haberent, qvoad veri & falsi judicium, verūm ejus loco Dialectica uterentur, quæ tantum in argutiis & vocibus posita erat,

86. Non tam novarum rerum quam verborum, dicti & facti inventores esse potuerunt.

87. Idcirco eorum Philosophia, non poterat esse vera, verūm multiplici nomine falsa & corrupta.

88. Dialectica enim non rerum, ut vera Logica, sed notionum & nominum inventrix est.

89. Plato, quem veteres Academici sequtū sunt; artes, disciplinas, & alias scientias, non contempsit, verum Pythagoram sequtus, putavit eas excolendas & in studio Philosophiæ tractandas esse.

90. Atque sic ipse qvoqve dispari hac mistura Philosophiam non nihil corrupit.

91. Et

91. Et primum qvidem qvoad res ipsas & doctrinam, utpote cum Physica Theologiam, Mathematicam, & Politicam nimis arcte miscens.

92. Deinde qvoad sermonem, ut qui Socratica differendi libertate scripsit, adeoq; tam simplex, planus & apertus non est, quam quidem esse deberet.

93. Adhibuisse tamen in remedium erroris Dialecticam videtur, non quatenus solum ars differendi est; verum ut est ars intelligendi, quam nos etiam rationis scientiam vel Rationalem Philosophiam appellare possumus.

94. Hæc enim sola docet nos veri & falsi judicium formando, opinionem à scientia, suppositionem à veritate, speciem denique à rebus ipsis distingvere.

95. Atq; hac ratione Platonis Philosophandi ratio minus, quam Zeno-

Zenonis & Stoicorum; magis tamen, quam Epicuri contentiofa fuit, interim obscura, confusa, difficilis, & in plerisq; incerta.

96. Primum quidem quia veri & falsi judicium, quod supponit in intellectu obscurum atque etiam incertum videtur, quia non ostendit, quo pacto vel à natura insit, vel studio & labore comparetur.

97. Nec quantum quidem nobis constat, Naturalem atque Moralē Philosophiam, ita fundatam nobis dedit in Rationali, neque ex ea tali pacto deductam, ut tota unum opus atque inventum rationis sit.

98. Ex adverso autem, opiniones trium principum sectarum non cohærentes, quia elegantes & probabiles videbantur, quantum potuit in unum conflare, conatus est.

99. Quasi omnis optimarum rerum cognitio atq; exercitatio Philosophi

Iosophi fit, atq; adeo omnes artes ac disciplinæ, ad plenam perfe. Etiamq; ejus formam pertineant.

100. Aristotelem quod attinet & Veteres Peripateticos, hi non aliam ab initio, quam Plato & Veteres Academicī Philosophandi modum habuere, atque eatenus una utriusq; laus, unus & communis error est.

101. Magis tamen aliquanto labore videtur, ut certa dogmata & disciplinæ formam haberet, in omni Philosophiæ parte.

102. Verū certitudinem non ab intellectu cum Platone, verū à sensu cum Zenone, Epicuro, Stoicis, & Epicurais derivabat, & cognitionem veritatis adhuc magis, quam Plato ad usum vitæ referebat: res omnes relate ad nos secundum sensum spectabat, hoc unum agens, ut tam ad vitæ usum, quam

quād ad communem sensum cognitione esset accommodata.

103. At vero Plato, atq; alii ante ipsum antiqui Philosophi, veritatem qværebant, qvod remota à communi sensu, ipsa sibi pretium, primò autem & per se utilis ad vitam non esset.

104. Modum tractandi si spe-  
cetes, is neq; Veterum modestiam  
& simplicitatem, neq; Platonis mo-  
derationem & gravitatem sapit.

105. Dialecticam, qvæ Veterum  
sophistica erat, summo studio per-  
fecit, atq; in formam artis rededit,  
duas illi partes tribuens, unam  
*Dialectica* nomine insignitam, qvæ  
probabiliter differendi cui agnata  
Rhetorica est, alteram, qvæ sciendi  
videtur instrumentum esse, eiq;  
nomen *Analytica* dedit.

106. Omnem scientiam atq; de-  
monstrationem pendere putabat,  
à præcognitis, qvæ anticipatio-

nes non secundum intellectum  
primariò, sed secundum sensum  
sunt, qvibus Aristoteles suum  
consilium secutus intelligentia  
nomen dedit.

107. Etenim ea hoc pacto præ-  
cognita, partim vera, partim falsa,  
& qvoad nos modò certa, modò  
incerta sunt, ut discerni non pos-  
sint, & talis qvoq; est intelligentia  
eorum, qvam supponit sensu &  
experientia haberi.

108. Peperit tamen hoc genus  
Philosophiaꝝ firmitatem in per-  
suasione, in opinione certitudi-  
nem, in externa specie facilitatem  
exhibens.

109. Est autem in qvibusdam,  
praxin præsertim Aristotelis si-  
pecies, Sophisticum, contentio-  
sum, & dictatorium, populare ta-  
men, externa specie moderatum &  
modestum, cui facile contradici  
potest, qvia qvisq; ut vult, non  
de

de rebus ipsis, qvarum una & simplex est notio, verum circa res finit & refingit eas ex ingenio suo, in quo finem & exitum non reprias.

110. Et qvia hic extitit Dux & Autor seqventium Philosophorū, Scholasticorum maximè, facile animadverti potest, non meliore via & successu eos in Philosophando incessisse, qvam ii, qvorum errores, haec tenus in Philosophando sumus persequtī, adeo ut supervacaneum sit, omnes & singulos hīc producendo examinare, maxime qvum videam satis superqve horum Philosophandi rationem esse recensitam à Clar. atqve Doct. D. Thomasio in sua Introductione in Philosophiam Aulicam.

111. Qvod si jam qvis contendat, qvānam causa fuerit, seu potius impedimentum, quo minus rectam possent veteres & qui eos seqvuti sunt,

sunt, insistere Philosophandi viam, cum supra §. i. Proleg. dixerimus, nos pari rationis vi esse donatos? ei, ut puto, responsum ibidem fuit: ut autem plenius qvæstioni satisfiat, seqventia perpendantur.

112. Primo, qvod hominum major pars, non tam de reto rationis usu in contemplatione veritatis, qvam de usu vitæ & rebus agendis videntur solliciti fuisse, ut communiter adhuc sunt.

113. Et qvia vitæ usus rerumqve agendarum necessitas, accurati examinis moram non ferunt, multa supponere, multa credere, multa ut manifesta satis admittere nos cogunt, qvæ tamen manifesta non sunt.

114. Secundò, qvod plerique, qvia usus etiam vitæ sic fert, primo de vita & moribus, secundo de natura, & tertio demum de ratione cognitionem instituant.

115. Cum tamen ad contemplationem veritatis, qvæ scientiam parit, ordo per omnia debet esse contrarius, contraria certitudo, qvæ communiter ab aliis primo in sensu, hinc in intellectu consistere putatur, Et si qvando in intellectu primo videatur, opinio saltem, conjectura & perswasio habetur.

116. Contraria debet esse veritas, id est, non spectanda est solum relatè ad nos, sed absolutè & in se.

117. Tertiò, in recto rationis usu, ut hactenus nihil supponendum, aut notum & præcognitū est, sed tanqvā præjudicia sepñnenda, utpote qvæ nos à verō facile avertunt; eoq; ab initio atq; ordine probanda omnia.

118. Illa enim eo modo quo oportet, si summa certitudo, si ordo, si accurata rerum veritas spectetur, nota & manifesta non sunt.

119. Hac via, nec ulla alia præcipitan-

pitantiam & anticipationem in judicando cavere possumus, qvæ id eoq; prima regula in recto rationis usu est, in veritatis contemplatione.

120. Hac denique via, primas & simplicissimas veritates, à qvibus aliæ pendent, in tuto collocamus, regulam veri & falsi invenimus, simplices & primitivas notiones, qvoad summa rerum genera, in lucem ponimus, veritatem in intellectu, fallaciam in sensu comprehendimus.

121. Quartò, præcipua erroris apud veteres Philosophos causa fuit, qvodeorum intellectus maxime accommodavit se ad sensum, & ab eo notiones accipiebat, putans unumq; vodq; ita se habere absolute & in se, ut relate ad nos & nostro considerandi modo se habet.

122. Atq; hinc Philosophiam,

ad vulgarem popularemque sensum tantum accommodatam tradebant, quæ non vera sed falsa, aut prorsus nulla erat.

## CONSECTARIA.

1. Ex hac recensita Veterum Philosophandi ratione, Sole clarus patet, quomodo ex paucorum hominum confidentia, & reliquo-rum societatis, incerta scientiarum quædam mancipatio sit orta;

2. Similique quomodo Christianis & Europæis plerisque ingenii, durissimum servitutis jugum sensim sine sensu, Scholasticorum philosophorum auspiciis fuerit impositum

3. Et licet concedamus, non hâc solum ætate, quæ præ omnibus aliis, & humanitatis, & prudentiæ, & experientiæ, & solidioris etiam scientiæ feracissima,

4. Sed avorum etiam memoria,  
& in

& in ipsis quoque barbariei ac densissima ignorantiae seculis, non paucas generosas mentes excitatas fuisse, quæ tam durum servitutis jugum excutere, Philosophandi libertatem asserere, atque tam fœdo Augiæ stabulo repurgando manus admoveare conatae sunt.

5. Quid autem in opere tam necessario, toties atque tam diu desiderato profectum fuerit, quasque vias vel in repurganda, vel in restauranda à primis fundamentis philosophia viri magni sint ingressi, nostrum non est latius hoc loco exponere.

6. Experientia docet, quæ in tam clara hujus seculi luce, praetextu libertatis Philosophandi, quæ fere in effrenam licentiam degenerat cœcutire, neque suis sed alienis oculis uti magno suo periculo mortales pergent.

7. Arbitrantes ad Philosophan-

di libertatem, qvæ aliud nihil est quam libertas judicandi secundum rationem rectam, necesse esse, esse Eclecticum, per omnes sectas vagando, qvi futurus liber Philosophus est.

8. Cum tamen hanc puto esse maximam servitutem.

9. Potest procul dubio veritas esse in uno, potest ab uno occupata esse, saltem in aliquibus.

10. Neqve tum amplius liberum est quidquam aliud amplecti, nec necesse est quærere aliud.

11. Nam dum veritas unica est atque simplicissima, scientia certè multiplex esse non poterit. & qvod si quis cum, qvi veritatis scientia potitus est, seqvatur, non poterit non sectarius esse veritatis, adeoq; Eclectica illa, quam hodie orbi literato obtrudere quidam satagunt, nullius erit usus.

12. Et qvaro à Clar. Viro, num  
con-

consultum ducat, ut, qvis ex suis discipulis, suam Philosophandi rationem secundum Introductiōnem in Philosophiam Aulicam, quam procul dubio pro vera & certissima habet, seqvatur, an non?

13. Si prius, num vitio vertendum putet, qvod ejus fiant sectarii? non puto, alias enim suspectam suam opinionem redderet procul dubio.

14. Sed inqvies, saltem Cartesius non est sequendus, ut qui ratiocinandi arte minime fuerit instructus, à prejdicis præterea nimium & parum sibi eaverit; nimius etiam ac aliquatenus fastuosus veterum Philosophorum contemptor videatur.

15. Sed quam hæc injuriosè de eo sint pronunciata, facile scripta Cartesii vel à limine salutantibus patet.

16. Neqve putandum, Virum iudicio naturali & ingenio maximè

pollentem, artem Logicæ non tenuisse, cum inter Philosophiæ partes præprimis Logicæ operam se navasse, fateatur Differ. de Methodo pag. II.

17. Sed dato, eum vulgari arte illa ratiocinandi non satis fuisse instructum; quid hoc methodo suæ veritatis in scientiis investigandæ derogabat?

18. Ipse enim celeberrimus Cartesius hoc jam probe animadverterat, Logicam illam, qvæ in Scholis passim doceretur ad suum institutum, hoc est, ad talem investigandæ veritatis Methodum, minus esse idoneam.

19. Et qvod syllogismorum illarum formæ, aliaque ferè omnia ejusdem præcepta, non tam profint ad ea investiganda, qvæ ignoramus, qvod tamen ejus studium erat, qvam ad ea qvæ jam scimus aliis exponenda.

20. De;

20. Deniq; longe potiori jure de ejus Methodo, qvam vulgo omnes de sua Logica vel Dialectica, qvæ Viro Clar. proculdubio ars ratiocinandi est, asseverare possumus, qvod nimis illa valeat ad quaslibet difficultates resolvendas, ad omnium qvæ in Philosophia disputantur inveniendam veritatem, ad acquirendum habitum non errandi.

21. Quid enim est aliud, eam vocare artem bene ratione utendi, aut dirigendi mentem in cognitione rerum qvam polliceri, habitos ejus usu errores caveri, & veritatem attingi posse, idq; in objecto circa qvod versatur, qvod nemo non consentit esse omne ens.

22. Et qvæcunque ars aut Logica ad cavendos errores, atq; sic non errandum, sed veritatem assequendam, non valet, merito suo nauci habetur, qvod de vulgari

C 5

Lo-

Logica atq; prudentiis ratiocinandi facile dixerim.

23. De Methodo autem Cartesii si contrarium asseram, non glorio-sius quam verius dixerim, quod ubi rerum testimonia adfint, non est opus verbis adstruere.

24. Cum enim tot ac tam illu-stres veritates, tam brevi tempore ejus ope erutæ atq; demonstratæ, tot dubitationes discussæ, tot quæ-stiones per multa secula jactatæ ac vexatæ, tam facile expeditæ sint,

25. In quibus vulgata & Logica & Philosophia per bis mille & plu-res annos frustra sudavit: stabit inconcussa assertio nostra, stabit & tropæum, quod eam gloriam im-mortalem Methodo Cartesianæ vindicat.

26. Imo si maxime quædam eo-rum, vel etiam omnia convelli pos-se contingat, non tamen ea causa laus auctori eripietur, modo con-

stet et

stet lapsus istos non nisi neglectu, vel derivatione à præscriptione Methodi admissos;

27. Ea autem servata, nullum er-rorem admissum, vel admissum, iri certissimè constet.

28. Arithmeticus, si alicubi la-psus in additione, subtractione, di-divisione &c. numerorum fuerit, ni-hilominus verè affirmare poteris artem eam valere ad rectè nume-randum, verasq; summas & residua invenienda.

29. Lapsus enim si qui sunt ad-missi, non ex regulis Logistices, sed culpa artificis, à regulis suis de-clinantis processerunt.

30. Sed neq; nimis fastuosus veterum Philosophorum contem-ptor extitit. In elegantis solum, ædificii sui, quippe à dissentienti-bus adeo architectis fabricati, de-structionem moliebatur.

31. Suas enim opiniones, quas

C 6

ex

ex Veterum Philosophorum scriptis hauserat, qvia deprehendit in utramq; de iis posse disputari, ædibus vetustate fatiscentibus, aut in firmo fundamento superstructis assimilat: verba Cartesii hæc sunt:

32. Sed qvod ad eas opiniones attinet, qvas ego ipse in eum usq; diem fueram amplexus, nihil melius facere me posse arbitrabar, qvam si omnes simul & semel è mente mea delerem, ut deinde vel alias meliores, vel certe easdem, NB. sed postqvam maturæ rationis examen subiissent, admitterem.

33. Credebamq; inquit, hoc patre longè melius me ad vitam regendam posse informari, qvam si veteris ædificii fundamenta retinerem, iisq;ve tantum principiis inniterer; qvibus olim juvenilis ætas mea, nullo unqvam adhibito examine an veritati congruerent, credulitatem suam addixerat.

34. Sed

34. Sed possemus hoc ipsum ulterioris qvoque deducendo ad oculum demonstrare, nisi metuerem, ne patientia lectoris nimis abuti existimarer, maxime cum id ipsum summa cum laude præstitum sit à Clariss. Dno Raejo.

## CAPUT IV. De Subjecto veræ Logicæ.

**I.** Etè Logica, tanq; Co-  
gitationum nostrarum di-  
rectrix, qvam in iis for-  
mandis sequeremur, & cujus ope,  
percepta ac judicata aliis imperti-  
remus est inventa.

2. Illa inqvam Logica, qvam nos Cartesianam à primo ejus inventore dicimus qvæ est ars ratione rectè utendi.

C 7

3. Ut

3. Ut autem quis hanc artem penitus intelligat, atque ratione sua ea rectius uti valeat; ante omnia considerabit, quis sit ipse qui ratione recte uti vult.

4. Non solum enim per se consideratu dignissimum est, utpote ad illud NOSCE TE-IPSUM pertinens, quidnam ex anima & corpore unum totum faciat, quod appellamus Hominem;

5. Verum etiam quia eo ignorantis, Vir Logicus, unde pendeat ingeniorum diversitas, & quia methodo in acquirenda rerum cognitio ne gubernanda sint, vix cognoscere poterit.

6. Tanto autem diligentius hoc subjectum investigandum nobis est, quanto minus ipsis etiam Philosophis consideratum haec tenus fuit aut perspectum.

7. Estergo proculdubio is, qui ratione recte uti vult *Homo* & non Bestia,

8. Sed

8. Sed Homo quid? de eo altius nobis est inquirendum, ut eo magis in ejus naturam penetremus.

9. Principio notandum, plura vocabula ad usum vitæ potius, quam ad contemplationem veritatis esse accommodata.

10. At Philosophus nomen à natura rei propria desumptum in veri contemplatione considerat.

11. Sic vocabulum *Homo* rei quam denotat magis Ethicè, quam Logicè competit, hoc enim nomine in Vita officii sui admonetur, siquidem ab humo dicitur, ut humilitati seu modestiæ studeat.

12. Sic plurimi nesciunt quid Homo denotet, quando pravolqvandi consuetudine dicitur, *boninem sepelire*; & quando dicimus de homine, quod anima amiserit, perversus animi nostri conceptus se prodit.

13. De-

13. Deinde licet Homo uno nomine appelleatur, diversæ tamen partes in eo vulgo intelliguntur, anima nimirum & corpus.

14. Unde addiscitur, non esse nimia cujusdam unitatis conceptu sic totum Hominem cogitandum, ut partium in eo conjunctarum insig nem adeoq; longè maximam discepantiam negligere, & pro dupli & duū generum natura, simplicem vel unius generis essentiam animo apprehendere videamur.

15. Vulgo enim dum de *uno Homine* loquimur, id vix alia mente accipimus, ac si de una arbore, de uno eqvo foret sermo.

16. At vero multo aliter se res habet; Namq; materialis & immaterialis naturæ diversitas ejusmodi unitatem in Homine neutram admittit.

17. Talis est humanæ essentia-

unitas, qvalem partium componentium diversitas patitur.

18. Verumenivero, qvia ei qui hanc compositionem vult indagare, Mentis & Corporis humani natura debet esse cognita, in ea autem, plurimi hallucinantur, ac proinde nec seipso verè cognoscent, neque cogitando aut sentiendo sciunt quidnam agant, de hac distinctius nobis in præsentia agendum est, in quantum ad Logicæ nostræ pliorem intelligentiam facit.

### CONSECTARIA.

1. Qvæ Doctissimus Vir Cap. III. suæ Introductionis, de Definitione hominis, & differentia ejus à bestiis, nec non qvæ de Mentis natura & ejus operationibus tractat, nos inferius videbimus.

2. Duo hic tantum breviter notabo, primò, qvod Hominem ni-

mis

mis unum consideret, tanquam rem simplicem, & unius tantum generis, cum tamen manifestissime compositus sit, ex duplii rerum diversissimarum genere, adeo ut in tota rerum natura inveniri non possint duæ magis ab invicem remotæ, substantiæ, & quæ minor rem inter se habeant convenientiam, quam ex quibus homo est compositus.

3. Sed quia non videtur operam dedisse, ut claras & distinctas Substantiæ corporeæ aut spiritualis notiones formaret,

4. Evenit, ut collectionis hujus, quia Cartesius quam optimè realem distinctionem Mentis à Corpore probabat, quod nimimum unius conceptus in altero non involvatur, firmitatem non animadverteret.

5. Enimvero, quoniam Mens & Corpustalia sunt, ut notio unius, nullo

nullo modo comprehendatur in notione alterius, quemadmodum notio extensionis non est comprehensa in notione cogitationis, neque illa in notione extensionis, impossibile est, ea convenire uni soli & eidem subjecto.

6. Hoc enim idem foret, ac si quis diceret unum idemque subjectum habere duas diversas naturas, quod sine contradictione de subjecto simplici & non composito dici nequit.

7. Et quotiescumque duo similia attributa, quorum utrumque ita distincte concipi potest sine alio, reperiuntur, in aliquo subjecto, signum est evidentissimum, subjectum illud esse compositum.

8. Nam inde clarissime patet, unum non esse modum alterius, sed esse attributum alicujus rei, quæ sine eo potest existere.

9. Sola igitur, quæ hic superesse po-

poteſt, diſſiſtās eſt, ut ſciamuſ an cogitatio & extenſio, ſint duō attributa eſſentialia, qvæ conſtituant eſſentiā aliquidarum ſubſti- tiarum, qvod Doctiſſimus Vir ne- gare videtur.

10. Nam ſi hoc ita ſe habet, ne- ceſſariò ſeqvetur, qvod, qvera- modum hæc duō attributa maxi- mè ſunt diuersa, duæ iſtæ ſubſti- tiax, qvas conſtituant, non poſſiſt non eſſe ſimiſter diuersa.

11. Id autem non erit diſſi- ble probatuſi animadvertaſ ad na- tu- ram modorum & accidentium per- tinere, qvod non poſſiſt conſcipi ſine primo ſubjecto ad qvod per- tiñent, uti nec proprietates ſine eſſentia ex qva neceſſariò emanant.

12. Et qvod eſſentia optimè po- ſit conſcipi non conceptis modis & proprietatibus, qvæ ab ea depen- dent;

13. Adeo ut nota ſit infallibilis,  
duo

duo attributa non eſſe tantum eſ- ſentialia, ſed etiam conſtituere eſ- ſentialia ſubſtantiax cui attribuun- tur, qvando talia ſunt ut poſſiſt, conſcipi non conceptis aliis, non vero alia ſine iplſis.

14. Quantum jam ad cogitatio- nem & extensionem attinet, illæ ſunt duō attributa, qvorum unum admodum facilè ſine alio poſteſt conſcipi, & qvæ nullum aliud præ- ſupponunt ad qvod pertiñent.

15. Concludimus igitur, cogita- tionem & extensionem non tantum eſſe duō attributa eſſentialia, ve- rum etiam conſtituere eſſentiā rei cui attribuuntur.

16. Et multò magis incompati- bila eſſe & contraria, qvam frigi- dum & calidum, qvæ inveniri poſſunt ſuccesſivè eodem in ſubjecto;

17. Cum abſolute imposſibile ſit, ut duō attributa eſſentialia, qvalia ſunt cogitatio & extenſio, unqvam in

in eodem subjecto inveniantur, id.  
que nec eodem tempore nec suc-  
cessivè.

18. Qvæ si bene à Doctissimo Vi-  
ro intellecta fuissent, nunq; am in  
tam manifestos errores de homine  
incidisset.

19. Neque Hominem tam ob-  
scura & imperfecta definitione, de-  
finivisset, ut diceret, *Hominem esse*  
*animal rationale*.

20. Nam licet de eo tanquam de-  
re scitu maxime necessaria, altius  
Philosophari aggressus sit, in eam  
nihilominus scyllam impedit, in-  
quam ii, de qvibus communiter  
scribit qvot vel neglectè vel erro-  
neè hâc de re scripserint.

21. Quid enim melius sapiat,  
ejus traditio ex definitione jam vi-  
debimus.

22. Communiter in eo omnes  
conveniunt Philosophi, Definitio-  
nem, qvæ hac sola de causa adhibe-  
tur,

tur, ut id qvod obscurum est de-  
claretur, non solum æq; claram,  
sed omnino clariorem esse debere  
illa re, qvæ definitur, ut nos suo  
loco fusi ostendemus.

23. Qvod si autem vulgarem,  
hanc Definitionem proprius inspi-  
cias, deprehendes in ea genus, ni-  
mirum *animal*, nimis obscurum  
esse.

24. Examina enim qvid homo,  
item qvid animal, manifestum e-  
vadet, clarius te intelligere qvid  
homo sit, qvam qvid animal. Jam  
autem nulla toleratur definitio,  
qvæ obscurior est definitio.

25. Verum & differentiam ibi  
positam, nimirum *rationale*, non  
minus esse ambiguam.

26. Nam vel significat id qvod  
cognitionis particeps est, atq; ita  
in genere nempe animali, contine-  
bitur, (huic enim cognitionem tri-  
bu-

buunt illius definitionis autores)  
qvod est absonum.

27. Vel denotat cognitionem  
dianoëticam, qvæ plerorumq; vi-  
detur esse sententia; atq; sic ab  
imperfectiori homo definiretur,  
qvod iterum vitiosum esse, nullus  
diffitebitur.

28. Vel deniq; designat, simpli-  
cē mentis apprehensionē & cogni-  
tionem noëticam, qvæ perfectior  
est mentis actio; sed tum vix ex-  
plicare valebunt, quantum hæc  
differat ab ea perceptione, qvam  
animantibus mutis adjudicant.

29. Qvod si ulterius hanc defi-  
nitionem examines, qvomodo ni-  
mirum se habeat, respectu rei defi-  
nitæ, an satis evolvat rei naturam,  
an genus & differentiam rei è assi-  
gnet, deniq; an sit adæqvata, de-  
prehendes, nulli harum conditio-  
num eadem satisfieri.

30. Non primæ, qvia homo com-  
positus

positus est ex duplice rerum diver-  
sissimarum genere, atq; hæc ad-  
miranda & notatu dignissima com-  
positio debuit in definitione homi-  
nis exprimi, siq; videm natura ejus  
fuerit explicanda.

31. Exprimitur autem in hac  
definitione: Homo est res ex men-  
te finita & corpore organico com-  
posita.

32. Ubi nota, genus hominis  
propinquius, qvam res composita  
est, inveniri non posse.

33. Adhæc in vulgari definitio-  
ne non modò non exprimitur ista  
tam notabilis compositio, verum  
etiam ex adverso homo conside-  
ratur ut res simplex & unius tan-  
tum generis.

34. *Animal* enim ponitur sub  
corpore, qvod spiritui opponitur  
in divisione substantiæ.

35. Et qvidem homo ponitur  
sub ignobiliori rerum genere, cor-  
pore

pore scilicet, cum tolerabilius eratrum fuisset, si ad genus magis nobile, scilicet spiritum, relatus fuisset, quemadmodum alias à potiori conservavit fieri denominatio.

36. Neque secundæ conditioni respondet decantata illa hominis definitio. Generis enim officium est exprimere convenientiam, quam res habet cum maximè cognatis, nam ideo vocatur *proximum*.

37. Differentiæ verò munus est indicare, quomodo res differat non à quibuslibet, sed à maximè cognatis.

38. Atqui in definitione ista hominis indicatur solum, quomodo conveniat cum bestiis, & quomodo ab iis differat, quasi homo & bestia essent res quam maximè affines. Cum tamen homo ratione mentis intelligentis atque immortalis magis convenit cum Angelis.

39. Quod si objicias, quod non  
Ange.

Angeli, sed bestiæ corporeis organis homini simillimæ apud nos conspiciantur, eoque harum in definitione habendam esse rationem.

40. Resp. Hoc esse novum vitium, quod superioribus accuditur, quia, cum humanæ cogitationes versari potius deberent circa res intelligentia prædictas, utpote corporeis longè nobiliores, ad quas etiam propter similitudinem per se mens nostra magis fertur, quod & ipsa naturæ sit intelligentis.

41. Ipsæ circa indolem & varia genera corporum volitare magis amant, & adeo se homines rebus corporeis & visibilibus immergunt, ut credant se totum id, quod sunt, similiores esse talibus rebus, quam aliis, quæ sensus fugiunt & sola mente pervidentur, quo capitali errore imaginem & similitudinem Dei, ad quam creati sunt, maximè obliterant.

42. Neque tertia conditioni usitata illa hominis definitio sufficit. Definitio enim debet esse ad aquata definito, hoc num sit, inductione cognoscitur, ut si de quocunque dicitur definitum, de eo etiam definitio dicatur, & vice versa.

43. Ratione hujus conditionis nihil deest hominis definitioni, fateor sed nec si animal ridendi facultate pollens definiretur quidquam deesset; quam tamen definitionem nemo approbaret. Vide Log. Claub. I. §. 102.

## CAPUT V. De Primo Cognito.

I.

**U**T natura mentis recte à nobis indagetur, notamus in antecessum, nos, cum infantes

fantes nati simus, & antequam ad virilem pervenissimus etatem, atque intellectum & rationem nostram in veritatis inquisitione adhibere potuissimus, adeo sensibus nostris & imaginationi assuetos esse, ut identidem, nisi nobis serio prospicerimus, ad ipsas nos recurrire in omnibus rebus, quas cognoscere volumus, animadvertemus.

2. Neque ullus mortalium est, qui non sentiat esse difficultimum, ab iis se avertere.

3. Ne tamen his difficultatibus inferiores videamur, age, abjiciamus procul omnes species, quas haec tenus accepimus, nosque ad intima conscientiae nostrae convergentes, examinemus, quid unusquisque nostrum in se ipso experientatur.

4. Ante omnia autem comprehendimus Mentem nostram, quæ

tam certa est de sui existentia, ut  
quamvis dubitet de aliis rebus o-  
mnibus, de hac tamen, eo ipso quo  
dubitatur, dubitare desinat.

5. Intelligimus autem per Men-  
tem humanam, principium illud  
internum omnium nostrarum co-  
gitationum, nostrorum appetitu-  
m, & nostrarum voluntatum, cu-  
jus ope producimus omnes fun-  
ctiones nostras, quæ cogitationem  
aliquam includunt, & in quo tan-  
quam in primo suo subiecto cogi-  
tationes omnes continentur.

6. Non ero hic prolixior in ex-  
plicanda natura hujus principii,  
sitne illud corpus, an substantia  
immaterialis, an vero modus tan-  
tum corporis, quemadmodum id  
quidam crediderunt esse posse, in-  
ferius enim id faciendi offeretur  
occasio; duo tantum hic conside-  
rari volo.

7. *Primum est, Principium hoc  
esse*

esse debere substantiam, omnes  
namq; in eo convenient, substanc-  
tiam nihil aliud esse, quam pri-  
mum subiectum quarundam pro-  
prietatum aut accidentium.

8. Oportet ergo illud etiam quod  
in nobis cogitandi facultatem pos-  
fidet, & primum est subiectum, in  
quo omnes nostræ cogitationes  
particulatim recipiuntur, ex sub-  
stantiarum esse numero.

9. Secundum quod considerari  
volo, est, nos illam substantiam,  
quæ cogitat; sive idem cum ex-  
tensta, quam corpus appellamus;  
sive ab ea diversa sit; citius cognoscere,  
magisq; certos esse de ejus  
existentia & essentia, quam de cor-  
pore & substantia extensa.

10. Quæ veritas adeo clara est,  
ut mirer, à Doctiss. Authore In-  
troductionis in Philos. Aul. in  
controversiam vocari eam potu-  
isse.

11. *Enim vero de corpore & substantia, tanquam rebus sensibili bus facile dubitare possumus, quia saepe nos sensus nostri fallunt.*

12. *Jure ergo diffidimus veritatem rerum, quas non nisi eorum operam discimus.*

13. *Nec obstat objectio, ab eis nunquam nos decipi, quando objectum, medium, & organum bene fuerint disposita.*

14. *Nam Resp. id quod nos redere videtur certos de existentia rerum sensibilium, est, quod cum ipsarum idea menti nostrae se offerant, saepius invitis nobis ad id non attendantibus, nos met ab ripa sentiamus, ad credendum eas procedere ab objectis aliquibus externis, quae sensus feriunt.*

15. *Jam vero experimur in somno, & phreneticorum deliriis, necesse non esse, ut objectum aliud simile, aut diversum ab eo quod*

*quod*

*quod sentimus, nostros sensus tangat, ad excitandas in nobis easdem cogitationes.*

16. *Interim tamen dum ita dubito de rebus omnibus, ego qui dubito, ego qui cogito, sum utique.*

17. *Quamobrem jure concludimus, hanc propositionem, Cogito, ergo sum, primam esse conclusionem certam, quæ se offert unicuique eorum, qui cogitationes suas ordine promovent, & quæ existentiam rei alicujus ipsis detegit:*

18. *Secundo animam meam, id est, substantiam eam, quæ in me cogitat, facilius cognosci, quam corpus; quoniam vel maximè hyperbolica dubitationes efficere nequeunt, ut de ejus existentia dubitem; & infinitas proprietates cogitationis meæ invenio, antequam vel somniare possim de proprietatibus corporis indagandis.*

19. *Tertio, quod idea cogitationis,*

*D 5*

onis, & extensionis sint plane diversæ, qvia concipere possum idem cogitationis, qvamvis negem substantiam aliquam extensam esse.

20. Concludo denique, hanc ideam cogitationis per sensus mihi non advenisse, qvi nobis nihil aliud unquam repræsentant, nisi qvod extensum est.

### CONSECTARIA.

1. Ex dictis attento lectori clarissime patet, qvō jure Renatus des Cartes in suo veritatis indagandæ itinere, omnia rejecerit, tanq; vam dubia, imo hic ne sensibus quidem fidem adhibuerit.

2. Placuit enim ipsi, dum solidam sapientiam meditaretur, & de rerum indubitatâ veritate inveniendâ laboraret, omnes opiniones veteres et si probabiles, ut falsas tamen

tamen esse ad tempus abdicandas.

3. Imo etiam de rebus sensibili- bus dubitandum aliquamdiu non malè censuit, qvoniam sensuum veritates, infirmō & fallaci nituntur judicio.

4. Enim verò qvia à somno vigiliā distingvere haud poterat, & pari modō res in utroq; statu, nobis objiciantur, qvī de veritate rerum, qvas sensus exhibet, constabit?

5. Patet etiam, ipsum eōtempore jure de corpore proprio dubitare potuisse, utpote qvod non perse, sed sensuum ope solum nobis innotescit, neq; enim de ejus existentia mens intrinsecè sibi conscientia esse, utut Doct. Vir asseveret, potest, qvia s̄apē contingit, ut putemus nos sentire, cum tamen reverā nihil sentiamus.

6. Patet etiam, qvam nullā specie opponatur, quasi eadem fictio-

ne, qva Cartesius fingebat, se non habere corpus, possit etiam fangi, qvod non cogitet.

7. Nam reverâ fingat qvod vult, & quantuni vult, nunquam tamen fingere poterit, qvod eō ipsō, qvō fingeit, non singat, & sic non cogitet, atq̄ adeo non sit, neq̄ dubitationem poterit negare esse cogitationem, quasi qui dubitet, certo sibi conscientia non sit.

8. Nam si dubitans conscientia non erit suæ dubitationis, neq̄ dubitare dicendus est.

9. Patet etiam, objectionem, qvā ajunt corporis nostri notitiam priorem, aut saltem aq̄ claram & evidenter esse, qvam mentis nostræ, nullō fundamento riti.

10. Omnes enim qui ita judicant, manifeste produnt, se nunquam legitimō modō ac ordine philosophatos fuisse, nec unquam fatis

satis accurate mentem à corpore distinxisse.

11. Et cum certius esse putarent, seipso existere, qvam qvicqvam aliud, non animadverterunt, per seipso, mentes solas hōc locō fuisse intelligendas:

12. Sed contra potius intellexerunt sola sua corpora, qvæ oculis videbant, & manibus palpabant, qvibusq̄ vim sentiendi perperam tribuebant; Et hoc est, qvod ipsos à mentis natura intelligenda avocavit.

13. Patet etiam hanc propositionem, *ego cogito ergo sum*, omnium esse primam & certissimam, nec præjudicioullo laborare aliquid supponendo, ut adversarii existimant.

14. Præjudicium enim est opinio per judicium nostrum à nobis, vel sine satis sufficiente, vel sine ullo examine admissa, adeo ut enun-

ciatio aliquia sine attentione profertur, quæ ideo vera esse creditur, quia talis antea fuit judicata.

15. Sed hoc pronunciatum, *Cogito, ergo sum* cum expenditur, præjudicium minimè appellari debet, propterea quod animo tam evidens appareat, ut ab eo credendo sibi temperare nequeat, cum forte de eo tum cogitare primum incipiat, ac proinde mentem præjudicio aliquo imbutam nondum habeat.

16. Neq; etiam hæc veritas, *Cogito, ergo sum*, ex illo generali, *Qui cogitat, est*, per ratiocinationem est deducata.

17. Errant enim qui existimant, enunciationum particularium cognitionem semper ex universalibus, secundum Syllogismorum Dialectices ordinem esse deducendam.

18. Qui enim hoc supponunt,

satis

satis produnt, se ignorare quomodo veritas indaganda sit.

19. Constat enim inter omnes Philosophos, ad eam indagandam initium semper à particularibus notionibus fieri debere, ut postea ad universale accedatur.

20. Ita si puer in Geometria instituendus est, hoc principium generale, *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia*, Totum singulis suis partibus est majus, non capiet nisi particularibus exemplis illustretur.

21. Sed obtendis: Existentia nostra ex quavis alia actione æque potest colligi, quam ex cogitatione nostra; cum lumine naturali notum sit, *Quicquid agit, esse*.

22. Ad quam objectionem cum Philosopho respondemus, falsum esse ex quavis alia actione nostra præter cogitationem, ejusq; modis varios, eandem existentia nostraræ

stræ certitudinem perinde potuisse colligi:

23. Qvia de nulla nostra aetione omnino certi sumus, certitudine nimis Metaphysica, præterquam de sola cogitatione.

24. Non enim inferre licet exempli causa, *ego manus, oculos, pedes habeo, aut ego palpo, video, ambulo, ergo sum*, nisi quatenus ambulandi & videndi conscientia cogitatio est, de qua sola haec illatio est certa, non de motu corporis.

25. Nam si dico, *ego video, vel ego ambulo, ergo sum*; Et hoc intelligam de visione aut ambulatione, quæ corpore peragitur, conclusio non est absolutè certa, quia, ut saepe fit in somniis, possem putare me videre, vel ambulare, quamvis oculos non aperiam, nec loco movear, quamvis etiam nullum corpus habeam.

26. Sed si intelligam de ipso sensu,

sensu, sive conscientia videndi aut ambulandi, qvia tunc ad mentem refertur, quæ sola sentit, sive cogitat se videre vel ambulare, est plene certa.

27. Atq; adeo ex hoc, quod putem me ambulare, optimè infero existentiam Menti, quæ hoc putat, non autem corporis, quod ambulat.

28. Idem esto de cœteris actionibus judicium.

29. Sed arguit Doct. Vir, non hoc, *Cogito ergo sum*; verum illud, *Impossibile est, idem simul esse & non esse*, primum esse principium.

30. Verum Respondeo: Imò hoc, *Cogito, ergo sum*, sive, *ego cogitans sum*, altero illo prius, nōius & simplicius esse.

31. Simplex enim enunciatio prior est composita, affirmans negante, pura modali.

32. Axioma illud, *Cogito, ergo sum*

*sum de semetipso probunqiat unusquisque philosophus, quatenus cogitat & mentem habet.*

33. Atqvi mentis suæ existentia, unicuique notissima præ cæteris aliis rebus est.

34. Porrò prius utiq̄ est verbum *sum*, de prima & certa loquens persona, quam est de tertio aliquo, *nam dēsira*, individuo vago, prius de te hoc nomine cogitasti, quam de homine in genere; prius de hoc ente singulari, quod offerebatur intellectui, quam de ente generali atque universo.

35. Præterea universale illud axioma, *Impossibile est, idem simul esse & non esse*, per se nullius rei existentiam probat, sed potius presupponit, *aliquid esse*, quod probandum erat in Philosophia prima.

36. Certe presupponit divisionem ejus quod cogitari potest, in *ens & non ens*, indeq̄ue natum,

axio-

axioma: *Quodlibet est, aut non est.*

37. Sed hoc axioma *Ego cogitans sum*, demonstrat existentiam alijcujus rei, uti demonstrandum erat aliquod subjectum in initio Philosophiæ, de quo philosophandum esset.

38. Et nihil presupponit, cum ab eo, qvire reliqua omnia in dubium revocavit ac se posuit, pronuntietur.

39. Et sane hi termini, *ego, cogito, sum*, longe notiores sunt, quam voces, *impossibile, idem, simul*. qvæ etiam ambiguae sunt, cum illæ sint distinctæ, hæ relativæ, illæ absolute.

40. Denique *ego cogitans*, sive, mens mea cogitans subjectum, axiomatis clara ac distincta cognitione prius intelligitur, quam altera; at conceptus entis de quo loquitur axioma, *Impossibile est, idem simul esse & non esse*, primus est cognitione

tione tantum confusa & obscura.  
Sed satis huic difficultati de primo  
cognito factum esse puto.

41. Unica adhuc reprehensio  
amolienda nobis restat, qvæ eo-  
rum est, qvi statuunt Philosophum  
nostrum in Platonicorum castra  
transisse, eo qvod rem cogitantem  
opponat corpori, qvasi homo sit  
salmem mens.

42. Sed vana hæc est accusatio,  
qvippe in sexta meditatione, in  
qua egit de distinctione mentis &  
corpore, simul etiam firmissimis  
rationibus probavit, illam huic  
esse substantialiter unitam, & tan-  
tum non confusam & commix-  
tam.

43. Etqvm admodum, qvi bra-  
chium hominis diceret esse sub-  
stantialiam, à reliquo ejus corpore  
distinctam, is non ideo negaret,  
illud idem ad hominis integri na-  
turam pertinere, multò minus oc-  
casio-

casionem dare suspicandi, non  
posse illud per se subsistere:

44. Ita non putari debet, Philo-  
sophum nimiam distinctionem,  
probasse inter corpus & mentem,  
ostendendo hanc absqve illo esse  
posse; nec etiam confusionem  
aut commixtionem ullam indu-  
xisse, probando mentem corpori  
unitam esse substantialiter;

45. Qvia unio illa substantialis  
non impedit, qvo minus utriusq  
natura sit distincta, & qvò minus  
clarus & distinctus solius mentis,  
tanquam rei in se completæ, ha-  
beatur conceptus; & vice versa,  
etiam corporis.

46. Quamvis enim habeamus cor-  
pus, qvod nobis valde arcte conjunctum  
est, qvia tamen ex una parte claram &  
distinctam habeo ideam mei ipsius, qva-  
tenus sum res cogitans, non extensa;  
& ex alia parte rursus distinctam ide-  
am corporis, qvatenuis est res extensa  
non

*non cogitans, certum est me, hoc est, mentem à corpore meo reversa esse distin-  
ctum, & absque illo posse existere.*

47. Sed regerat aliquis; Quid ratione demonstratur, Corpus non posse cogitare? Resp. Hac ratione: Omne id quod potest cogitare est mens, sive vocatur mens; sed cum mens & corpus realiter distingvuntur, nullum corpus est mens; neque ulla attributa essentialia habet communia, quare nullum corpus cogitare potest.

## CAPUT VI. De Natura Mentis humanæ.

**N**on jam de quaestione *an sit*, de qua mens certissima est, sed de quaestione *quid sit*, vul-

vulgarem sequentes considerandi modum, sive quae sit natura & es- sentia mentis nostræ, de cuius ex- stentia adeo certi sumus, sollicitos adhuc nos esse decet.

2. Quanti autem sit Mentis hu- manæ naturam nosse, ex eo liquet, quod illâ cognitâ, facilius postea apprehendatur natura Angeli, na- tura etiam Dei, quantum humanæ finit infirmitas.

3. Ut autem ritè Mentis natura à nobis investigetur, posthabenda est ad tempus corporis considera-  
tio, neque delabendum ad relatio-  
nem aut unionem mentis cum  
corpore.

4. Sed nos unicè nosmetipsos detinebimus in perpendenda na-  
tura Mentis in se ipsa conside-  
ratæ.

5. *Natura* Mentis definitione,  
quam optime explicatur, quam  
varii variam, & alii quidem nega-  
tivam,

tivam, alii affirmativam posuere.

6. Manifestum autem est, definitiones negantes, cum potius quid res non sit, quam quid sit exponant, rejiciendas esse, quoties haberi affirmata possunt, aut saltem his esse postponendas.

7. Quia de causa Mentem non describimus, quod sit res immaterialis, incorporea, invisibilis &c.

8. Affirmate Mens describitur a multis per attributa communia & respectiva, veluti cum dicitur spiritus &c. actus corporis organici, principium &c.

9. Cujusmodi definitiones, quoniam non quid Mens in se sit, sed tantum similitudinem ejus cum aliis rebus, & relationem ad illas exponunt, merito posthabentur iis, quae positivam, propriam, & absolutam Mentis essentiam declarant.

10. Sunt vero attributa Mentis pro-

propria & absoluta, perceptio, affirmatio, negatio, voluntas, cogitatio, dubitatio, intellectus, judicium &c.

11. Quæ an, & quomodo distingvantur, vel à mente, vel inter se, jam non disqviro.

12. Et quia hæc omnia in definitione ponî non debent, Lex enim definitionis est, ut brevis sit, ideo sumendum est attributum ex omnibus præcipuum & Menti intimum, quod in reliquis omnibus includitur, & in quo hæc omnia, quasi radicantur & fundantur.

13. Quod si autem cuncta Mentalis attributa attentè perlustremus, primum ex iis & præcipuum inventemus Cogitationem, sive vim illam & principium internum cogitandi, quod nunquam feriatur, semper operationi alicui intentum.

14. Mens enim si vult cogitat, si non vult cogitat, si amat cogitat,

tat, si odit cogitat, somniando cogitat, vigilando cogitat, sentiendo cogitat, imaginando cogitat &c. atque ita in qualibet ejus functione cogitatio involvitur.

15. At non viceversa, si cogitat, etiam amat, si cogitat, etiam affimat, negat, dubitat &c.

16. Definitur ergo Mens optimè, quod sit *res cogitans*.

17. Utque ad humanam Mensem, quæ à divina atque angelica distingvenda est, restringatur definitio, addantur: *finita, corpore organico mutuo quasi fædere conjuncta*.

18. Extali explicatione levigatio colliguntur reliqua, quæ de Anima quæri solent.

19. Quando enim res cogitans est, non extensa erit utique, nec dividiri poterit, nec dissolvi, nec tangere, vel tangi,

20. Nec ab ulla re corporea produci, conservari, vel destrui;

21. Nec

21. Nec denique alio quocunq; modo corporis instar affici, moveri, aut figurari.

22. Adeo ut omnes illæ rerum materialium affectiones, quas physicorum pars communis generaliter explicat, à natura animæ rationalis prorsus alienæ sint.

### CONSECTARIA.

1. Certè non satis mirari possum, quod, cum inter quæstiones Philosophicas nulla fere sit, quam Philosophus noster non ea dexterritate, qua nemo ante ipsum, explicuerit; nulla etiam perspicuitate majore tradita ab eo habeatur, quam hæc, quæ respicit naturam, mentis humanæ; tantum nihilominus contradicendi & innovandi cacoëthes mortales invaserit, ut de iis litem moveare non vereantur.

2. Sed non aliundè id accidit, quam

E 2

quam quod maximè sint occupati  
in consideranda relatione quæ in-  
ter Mentem, & Corpus, cui juncta  
est, intercedit.

3. Adeoque non aliter ab erro-  
ribus circa hanc materiam, liberare  
se poterunt, quam si posthabita ad  
tempus consideratione corporis,  
seipso detineant in perpendenda  
natura mentis in se consideratæ,  
neque ad unionem ejus cum cor-  
pore transeant. Nam qualiscun-  
que sit ea unio, nihil tamen menti  
aut addit aut demit.

4. Dubitare enim an corpus ha-  
beamus, imò omnia corpora per-  
rerum abdicationem, è medio tol-  
lere possumus, nunquam tamen,  
de Mente ambigere licet quod sit,  
quam diu dubitamus sive cogita-  
mus.

5. Per claram enim & distinctam  
intellectus operationem depre-  
hendimus, nos substantias esse, &  
qui-

quidem ab aliis rebus distinctas.

6. Nullum enim majus distinc-  
tionis inter duas res argumen-  
tum reperiri potest, quam quod in  
utramque partem nos converten-  
tes, nihil planè in una deprehendi-  
mus, quod ab altera non sit distin-  
ctum.

7. Nihilominus id à Clar. Viro  
non animadvertisit, ut qui putat,  
conceptum Cogitationis non mi-  
nus, quam Corporis involvere ex-  
tensionem, adeoque corporis &  
Mentis conceptum quam maximè  
confundit.

8. Unde tandem plures mana-  
runt errores;

9. Quod nimis Mens sit ma-  
terialis.

10. Quod Mens citra reflexio-  
nem ad corpus concipi nequeat.

11. Quod essentia Mentis non  
consistat in Cogitatione.

12. Quod actu non cogitet in-

infantibus & profunde dormientibus, &

13. Qvod Anima natura sua non sit immortalis, ut aliorum innumerorum recensione supersedam, de cogitatione, imaginatione, perceptione &c.

14. Ut autem hos errores removamus, atque primum, qvod conceptus Cogitationis involvat extensionem; videndum nobis erit, qvid sit Cogitatio, ut tandem clarus, qvid Philosophus voluerit, cum mentis naturam in sola cogitatione consistere affirmavit, & quæ rationes ipsum ad id impulerint, perspiciamus.

15. Sciendum ergo, omnem substantiam creatam, seu corpus seu spiritus fuerit, in eo conceptu & natura convenire, qvod sit res ita, per se subsistens, ut solo Dei concursu egeat ad existendum.

16. Et hæc substantia per se subsistens,

sistens, Menti humanæ neutiquam denegatur à Cartesio, nec ab ullo deneganda est.

17. Ideoq; qvi integrum essentiam, sive naturam Mentis humanæ vult describere, uti ex se est, & existet inter res alias, eam qvoq; tenetur describere à genere, ut collocet eam inter res creatas subsistentes, & ostendat, qvid cum aliis rebus subsistentibus, etiam commune habeat.

18. Atq; Mensem humanam, dicet esse rem sive ens, sive substantiam.

19. Sed cum Mens per illud genus sive naturam cum aliis substantiis communem, nempe qvod sit ens, seu substantia, sive subjectum multarum accidentium, non primum innotescit, qvoniam per se nos non afficit, qvod sit res per se existens;

20. Sed per attributum aliquod,

qvod in illa observamus, cognoscitur.

21. Qvoniam lumine naturali novimus, nihili nulla esse attributa, nec proprietates, nec qualitates,

22. Unde etiam ex attributo aliquo, qvod advertimus, concludimus firmiter rem aliquam adesse non tantum, sed præterea scimus quoque, qualis naturæ res illa sit, vel cogitans, vel extensa.

23. Cum autem Cartesio propositum esset non adeo Mentis naturam, quam cum aliis communem habet, inquirere & exponere,

24. Sed illius naturam & essentiam propriam intime pernoscere, & in quantum ab aliis rebus, præfertim corporeis distinguitur, explicare,

25. Hinc non quæsivit nec expressit illud, qvod omnibus substantiis commune est, nempe qvod

fit

sitres, quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum,

26. Sed quæsivit attributum aliquo Menti humanæ proprium, & in ea præcipuum, qvod & essentiam ejus constitutum, & simul ab omnibus aliis rebus corporeis eandem distingvat, & qvod omnia alia attributa, quæ in mente occurserunt, referri possint,

27. Illud vero attributum est cogitatio, ut supra ostendimus.

28. Sed audiamus hoc ipsum Philosophum latius deducentem: P.P. §.52. 53. 54.

29. Possunt, inquit, substantia corporea, & mens, sive substantia cogitans creata, sub hoc communè conceptu intelligi; qvod sint res, quæ solo concursu Dei egent ad existendum.

30. Verum tamen non potest substantia primum animadverti ex hoc solo, qvod sit res existens;

quia hoc solum per se nos non afficit; sed facilè ipsam agnoscimus ex qvolibet ejus attributo, per communem illam notionem, qvod nihili nulla sint attributa, nullæve proprietates, aut qualitates.

31. Ex hoc enim, qvod attributum adesse percipiāmus, concludimus aliquam rem existentem, sive substantiam, cui illud tribui possit, necessario etiam adesse.

32. Et qvidem ex qvolibet attributo substantia cognoscitur: sed una tantum est cuiusque substantiæ præcipua proprietas, qvæ ipsius naturam essentiamq; constituit, & ad qvam aliæ omnes referuntur.

33. Nempe extensio in longum, latum, & profundum substantiæ corporeæ naturam constituit; & cogitatio constituit naturam substantiæ cogitantis.

34. Nam omne aliud qvod tribui

bui potest corpori, extensionem, præsupponit, estq; ve tantum modus qvidam rei extensæ; & omnia, qvæ in mente reperimus, sunt tantum diversi modi cogitandi.

35. Sic, exempli causâ, figura non nisi in re extensâ potest intelligi, nec motus nisi in spatio extenso; nec imaginatio, vel sensus, vel voluntas, nisi in re cogitante.

36. Sed è contrario potest intelligi extensio sine figura vel motu; & cogitatio sine imaginatione, vel sensu; & ita de reliquis; ut cuilibet attendenti fit manifestum.

37. Atq; ve ita facile possumus duas claras & distinctas habere, notiones, sive ideas, unam substantiæ cogitantis creatæ, aliam substantiæ corporeæ; si nempe attributa omnia cogitationis, ab attributis extensionis accurate distinguamus.

38. Et ad objectionem secundam  
E 6 in,

In Med. II. inquit: Certum est, cogitationem non posse esse sine re cogitante, nec omnino ullam rem sive ullum accidens sine substantia, cui inest.

39. Cum autem substantiam non immediate per ipsam cognoscamus, sed per hoc tantum quod sit subjectum quorundam actuum, valerationi consentaneum est, & usus jubet, ut illas substantias, quas agnoscimus esse subjectum plene diversorum actuum, sive accidentium, diversis nominibus appellemus;

40. Atque ut postea, utrum illa diversa nomina res diversas vel unam tandem significant, examinemus.

41. Sunt autem actus quidam, quos vocamus corporeos, ut magnitudo, figura, motus, & alia omnia que absque locali extensione cogitari non possunt:

42. Atque substantiam, cui illi insunt, vocamus Corpus.

43. Nec sibi potest alia esse substantia quae sit subjectum figure, alia quae sit subjectum motus localis, &c. quia

omnes

omnes illi actus convenient sub una communiratione extensionis.

44. Sunt denique alii actus, quos vocamus Cogitativos, ut intelligere, velle, imaginari, sentire, &c. qui omnes sub ratione communica cogitationis, sive perceptionis, sive conscientie convenient:

45. Atque substantiam cui instant, dicimus esse rem cogitantem, sive Mentem, sive alio quovis nomine, modo ne ipsam cum substantia corporeâ confundamus, quoniam actus cogitativi nullam cum actibus corporeis habent affinitatem, & cogitatio quæ est ipsarum communis ratio, toto genere differt ab extensione, quæ est ratio communis aliorum.

46. Ex his satis perspicuum est, Cogitationem non modo non involvere extensionem, verum etiam, quod Mens maximè concipi possit citra reflexionem ad corpus,

E 7

con-

contra quam contendit Vir Clar.

47. Nam cum nihil plane includatur in conceptu Corporis, quod ad Mentem pertineat, nihil etiam in conceptu Mentis, quod ad corpus spectet, irrefragabiliter efficitur, haec duo esse revera distincta; adeoque si una res sit materialis, altera ut immaterialis sit, necesse est. Quid enim haec duas idex communem habent?

48. Et quare, quid ad earum discrimen reqviritur amplius, quam ut una sine altera concipi queat, vel etiam alterutra sine comparte & socia existere apprehendatur?

49. Certè ita evidens est harum oppositio, ut facilius quis admittat, Hominem esse saxum, Circulum esse Triangulum, Codicem esse Domum, quam cogitationem consentire cum corpore, seu materialis naturæ esse participem.

50. Sed

50. Sed obtendat Doct. Vir, Cartesium, cum homo fuerit, veroque corpore constiterit, corpus habere se non potuisse inficiari, ejus enim erat conscius cogitando non minus, quam suæ Mentis.

51. Resp. Dato; sed an propterea Corpus cogitare, & à Mente indistinctum esse inferendum erit? Nihil minus. Uti præclarè advertit Philosophus in sexta Meditatione, inquiens:

52. Et quamvis fortasse (vel ut postea pro certo dicam) corpus habeam, quod mihi valde arcte conjunctum est: Quia tamen ex una parte claram & distinctam Ideam habeo mei ipsius, quatenus sum tantum res cogitans non extensa; & ex alia parte, distinctam Ideam Corporis, quatenus est tantum res extensa non cogitans, certum est, me à corpore meo esse distinctum.

53. Sed majoris evidentiæ gratia, detur, quod Mens & Corpus, quæ

qvx omnibus suis modis dissentunt, ita tamen secundum natura Autoris imperium concordent, ut ex mutatione in Mente facta, eodem tempore mutatio in corpore oriatur; & vice versa Corporis mutatio, in Animam mutationem inducat; adeo ut certi eorum modi simul ponantur & desinant.

54. Hæc certè compositionis unitas, Corporis & Animæ naturam non variabit, sed adhuc distinctione manere intelligentur.

55. Sic licet qvis Corpus habere se, negare non possit, ut vult Doct. Vir, non tamen inde sequitur, Extensionem & Cognitionem, qvx unum compositum efficiunt, ita inter se confundi, ut qvicquid uni attribuitur, alteri qvoꝝ attributum affirmare necessum sit.

56. Sed qvia nihil apud Virum eximum persvasero, licet millies hanc differentiam insinuem, ni

qvo-

qvoꝝ ostendam, hanc idearum diversitatem, qvam de Mente & corpore tanqvm rebus diversissimis habeo, ad rerum discrimen sufficere, satqve esse, ut clarum & distinctum habeamus substantiæ Cogitantis conceptum, in qvo nihil eorum, qvx ad substantiæ Corporis conceptum spectant, continentur, ut illam à substantia corporal distinctionem esse pronunciemus,

57. Dico, si ad rerum discrepaniam non sufficit, qvod unam absqꝝ altera evidenter percipiamus, aliam distinctionis realis notam mihi proferat.

58. Sed fortè cum Peripateticis nobis obtrudet, illa realiter differe, qvx separatim à se invicem existere possunt. Sed tum urgebo, unde qvis novit Rem unam ab alia se junctam esse posse?

59. Non enim sufficit scire ita fieri,

eri, sed necessarium est, ut quod distinctionis signum est, innoscatur.

60. Sed forte ad *sensus*, tanquam ad humanæ eruditionis magistros confugiet, quibus Rem unam sublata altera intuemur, tangimus, olfacimus &c.

61. At quis nescit, quam dubia fidei Sensus sint, quam sæpe decipiunt, quod longè minus de iis certi simus, quam illorum haurimus ope, quam quæ per Intellectum investigamus?

62. Pluribus enim modis contingit, ut eadem Res, sub variis Imaginibus nobis obversetur, ut in diversis locis cernatur, & produabus sæpe sumatur & appareat.

63. Quid de illis dicendum, qui manu abscissa, dolorem in digitis sentire se queruntur, & non raro dubitant, an verè sibi manus amputata sit.

64. Q.<sup>a.</sup>

64. Qvare cum à sensibus non sit desumenda cognitionis nostræ certitudo, restat, ut ab Intellectu solo Res percipientur, & aliud non sit, Rem unam absqve altera sentire, quam unius rei ideam habere, atqve percipere, istam ideam non esse eandem cum alterius Idea.

65. Hoc autem aliunde percipi non potest, quam ex eo, quod una citra alteram concipiatur;

66. Nec potest certo intelligi, nisi utriusq; Rei Idea dicto modo evidens sit ac distincta; Quod realis distinctionis indicium, ad illud, quod assignavit Cartesius, ut sit certum, reduci facile potest, contra Virum Clar.

67. Constans igitur ac immotum manet, Mentem & Corpus à perceptione nostra realem sortiri distinctionem, & propter conceptus, quos de illis habemus, diversa existimari.

68. Qvod

68. Qvod præclarè qvondam ipse etiam Augustinus animadvertisse videtur in libro de Spiritu & Anima: cujus verba ex cap. XXXII. hic subiecere non dubitamus.

69. Removeat ergo à consideratione sua omnes notitias, quæ per corporis sensus extrinsecus capiuntur; quæ namque corporalia sunt, eorumque similitudines, sensas quoq; & imaginationes in memoriam infixæ, cum recordando remiscuntur, ad exteriorem hominem pertinent: quamquam ipsis quasi nuntiis animæ exteriora percipiunt.

70. Mens ergo cui nihil se ipsa presentius est, interiori, non simulata, sed vera præsentia vident se in se; nihil enim tam novit mens, quam id quod sibi præsto est; nec magis menti quam præsto est, quam ipsa sibi.

71. Nam cognoscit se vivere, se minisse, se intelligere, se velle, cogitare, scire, judicare; bac omnia novit in se, nec imaginatur quasi extra se illa aliquo

aliquo sensu corporis tetigerit, sicut corporalia quedam tanguntur; ex quo rum cogitationibus nihil sibi affingat, ut tale aliquid se esse putet.

72. Quidquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est. Nihil enim tam in mente est, quam ipsa mens, nec quicquam sic mentem cognoscit quemadmodum mens.

73. Cum enim quærit mens, quid sit mens, profecto novit quod seipsam quærit, & novit quod ipsa sit mens quæ se ipsam quærit. Negat enim aliunde se quærit quam se ipsa. Cum ergo quærentem se novit, se utique novit. Et omne quod novit, tota novit, atque ita totam se novit: Et si parte inventa non se totam quærat; tamen quia se totam quærit, tota sibi præsto est, nihil enim sibi se ipsa præsentius esse potest.

74. Quid illustrius adferri posse ad ostendendum, Mentem immaterialē esse, ac proinde à Corpore penitus differre?

75. De-

75. Demonstratis in superioribus Mentis existentia & Essentiâ, ejusq; à corpore distinctione; atq; ita claro distinctioq; utriusque conceptu formato, qvo percepimus esse revera substantias realiter à se mutuo distinguas: atq; cogitationem cum extensione in eodem subiecto reperiri nequaquam posse.

76. Sed qvia non sufficit scire, in genere Menter esse rem cogitantem, nisi præterea cognoscamus, qvæ sit natura cogitationis, in eaq; sola consistere ejus essentiam, opere pretium est eam paucis hinc sub incudem examinis subjicere, ut eo clarius appareat, nos non sine causa, ut in superioribus ita, hinc qvoq; à Viro Doct. dissentire.

77. Examinatis itaq; omnibus actionibus & passionibus Menter, consideratisq; iis, tum qvæ omnibus sunt communia, tum qvæ singulis

gulis sunt propria, definiri posse videtur, naturam cogitationis consistere in ea conscientia, testimonio, & sensu illo interiore, per quem Mens certior redditur omnium eorum, qvæ facit aut patitur, & in genere omnium eorum, qvæ immediate accidunt in ipsa, eo ipso tempore, quando agit aut patitur.

78. Dico immediatè, ut ostendam, testimonium illud, & sensum interiore non differre ab actione & passione, easq; esse ipsas, qvæ Menter reddunt certiorem ejus, quod in ipsa sit:

79. Et ne confundatur sensus ille interior cum actibus mentis reflexis, qvibus ea qvandoq; fertur in ipsas suas cogitationes, qui in omnibus cogitationibus nostris non inveniunt locum, sed earum tantum speciem aliquam constituant.

80. Dixi præterea, eodem ipso tempore, qvo agit aut patitur, ne quis

qvis putet necesse esse, quando spiritus non amplius agit, hoc est, quando mutavit suas cogitationes, ut memoriam earum retineat & cognitionem.

81. Atque adeo substantia cogitans nihil aliud est, quam res, quae sibi conscientia est omnium eorum quae in ipsa sunt, sive ipsa sit eorum causa in se, sive alia in eam agant, idque eo precise tempore quo siunt;

82. Unde gravissimam hanc veritatem deducere possumus, Quicquid in nobis sit, cuius nobis conscientia non sumus, spiritum non esse qui id faciat;

83. Et quicquid nec directe, nec indirecte dependet ab ejus cogitationibus, ab ipsa plane esse alienum.

84. Hinc etiam concludere possumus, contradictionem involvere, si quis dicat, Mentem non semper dum existit, cogitare:

85. Nam quoniam mens nihil aliud

aliud est, quam substantia quæ percipit, quicquid in ipsa contingit, sive agat, sive patiatur, debet id percipere; debet ergo semper aliquid percipere, & per consequens haud possibile est, eam non semper cogitare.

86. Sed hanc rem paulo magis declaremus oportet, quo omnis difficultas, quam à novitate accipit tollatur, atque veritatem, in quibus à Viro Doct. dissentimus, à parte nostra stare demonstretur.

87. Dicimus ergo; Illi, qui pauperrimi rerum essentias inspicerunt, observarunt inter attributa essentialia, quæ ad unum idemque subjectum pertinent, semper esse unum aliquod, unde alia, tanquam à suo fonte flumina derivantur;

88. Sic videmus, omnes proprietates hominis fluere ab unione mentis & corporis, tanquam ab eorum origine; & extensionem basin esse,

esse, atque fundamentum omnium eorum, quaz clarè percipimus in corporibus.

89. Ad cognoscenda vero ista attributa, considerandum est, juodnam sit illud attributum in omnia alicujus subjecti attributa, quod non presupponit aliquod illud, & cujus ratione omnia alia ipsi convenient.

90. Quod ubi inventum est, nullus dubitandi locus reliquus est, illud prex omnibus aliis fontis in star esse agnoscendum.

91. Hoc modo in natura corporis observavimus, extensionem primum tenere locum, quaia quicque figura predictum est, divisibile est & extensum, quicque certam habet quantitatem, & locum replet est extensum.

92. Si enim corpus extensum non esset, non posset horum esse subjectum.

93. Ve-

93. Verum quicque est extensum, non necessario moverur, non necessario habet certain figuram, talem situm, aut talem quantitatem;

94. Et quamvis necessario divisibile sit, & naturaliter impenetrabile, hoc tamen duæ proprietates non nisi ab extensione dependent, eamque seqvuntur, quoniam ab illa derivantur, eamque presupponunt.

95. Atque hoc confirmat id quod dicturi sumus de cogitatione respectu Mentis, nosque docet, eam esse differentiam essentialē, & radicem attributorum omnium :

96. Nam si sentio, si video, si imaginor, si intelligo, si memor sum, si volo, si nolo, cogitatio invenitur in omnibus hisce actionibus.

97. Verum si cogito, non necesse est, aliquam ex hisce actionibus

F 2

in

in particulari me producere, hoc est, me videre, sentire, imaginari &c.

98. Qvo ostenditur, omnes habent diversas facultates, tanquam totidem diversos ramos ex cogitatione, tanquam ex sua oriri stirpe, actionesque particulares ad instar esse florum aut fructuum.

99. Igitur in cogitatione sita est essentia mentis, quia omnes aliae ejus facultates inde derivantur, & ut proprie loquamur, quia omnes ejus functiones non sunt nisi diversi cogitandi modi.

100. Quemadmodum enim infra demonstrabimus, omnes nostrae diversae cogitationes reducuntur manifeste ad duos ramos, quorum unus est potentia, quam habemus, cognoscendi: alter potentia nos determinandi ad rem aliquam, quam preferimus ei quae ipsi est contraria.

101. Sen-

101. Sentire enim, imaginari, memorem esse, intelligere, &c. nonne est percipere, aut cognoscere? eodem modo velle, consentire, negare, judicare, desiderare, metuere, habitare &c. nonne sequuntur potentiam quam habemus nos determinandi?

102. Hinc patet soli D. Cartes deberi, quod naturam mentis notam nobis fecerit: quamvis enim ante ipsum plurimi magni Philosophi, nobis aliquo modo aperuerint, quæ Mentis esset essentia, certum tamen est dici non posse, eos totum rei fundamentum perfectè satis explicuisse nobis, ac aperuisse.

103. Sed veniamus ad propositionem nostram, mentem scilicet, semper debere actu cogitare, secus quam Vir Doctissimus contendit, quam credo neminem unquam ante Cartesium, proposuisse.

F 3

104. Et

104. Et spero neminem fore, qui eam non verissimam judicet, si præterquam quod diximus, consideret, quemadmodum nullum videntem corpus, quod non sit actu extensum, & quod non actu debeat habere aliquam figuram, nec tantum esse capax ad recipiendum eas, quas ipsi dare velimus;

105. Eodem modo naturam mentis non tantum in eo consistere, quod habeat facultatem cogitandi, sed etiam necesse esse ut tantisper, dum existat, semper aliquam cogitationem habeat, in qua sit occupata, quæ eam exerceat, quæque sit virtus ejus quasi sustentaculum.

106. Consideretur secundo, quod quicquid existit, debeat esse actu aliquid, & non tantum potentia:

107. Nam quicquid non est nisi in potentia, nihil est.

108. Hoc cum ita sit, quo pacto concipi poterit res, quæ cogitat, nisi

nisi supponas eam habere aliquam cogitationem?

109. Dices, sufficere Mente habere potentiam cogitandi, quamvis nullam ejus edat actionem.

110. Verum Resp. animadvertisne, corpus nihil fore, si actu non esset extensum, sed tantum extensio nis capax? Utique.

111. Eodem modo comparatum est cum Mente, quæ cum essentia liter sit res cogitans, statim desinet esse, si vel ad momentum à cogitatione cessaret.

112. Et quemadmodum extensio corporis in particulari subsistere nequit, nisi aliqua figura sit limitatum; sic nec cogitatio mentis creatæ potest existere, nisi determinata per formam cogitationis aliquius particularis fuerit.

113. Consideretur præterea, quæso, quod si substantia cogitans non producat aliquam cogitationem,

id propterea fore, aut qvia illa non  
vult, aut qvia non potest:

114. Si posterius, non habebit  
potentiam cogitandi, & per conse-  
qvens non erit mens: Si prius, jam  
cogitat, qvia velle & nolle sunt  
modi cogitandi; unde clarè seqvi-  
tur, mentem non posse esse sine  
perpetua cogitatione.

115. Sed dicent sensuum patro-  
ni, pictorem aliquem habere posse  
facultatem pingendi, qvamvis ede-  
re ejus actum nequeat ob defi-  
ctum tabulæ aut colorum; oculi  
lumque non privari facultate vi-  
dendi, qvamvis ob noctem nihil  
possit percipere, deficiente lu-  
mine:

116. Eodem modo Mentem ha-  
bere nullam posse cogitationem,  
non ob voluntatis aut potentiarum;  
sed ob specierum aut idearum, qvæ  
cognitioni ejus inserviunt, defe-  
ctum.

117. Ve-

117. Verum Resp. magnam esse  
diversitatem inter illa, & mentem;  
qvia pictor extra se operatur, & sen-  
suum perceptio actionem objecti  
præsupponit, qvod percipi nequit  
à videndi facultate, nisi capax sit  
ad agendum in illam?

118. Sed facultas cogitandi in  
omnibus suis functionibus non  
præsupponit existentiam objecti  
alicujus externi.

119. Et qvamvis verum foret,  
mentem non habere posse ideam  
alicujus rei, qvæ sit extra illam, nisi  
illa ipsi extrinsecus advenerit;  
minimum tamen idea sui ipsius, &  
propriæ suæ existentiæ non posset  
ab ea abesse, & qvoniām essentiali-  
ter cognoscit, non posset sine ali-  
qva cognitione reperiri.

120. Sed objiciat hīc iterum ali-  
qvis, mentem qvidem posse non  
cogitare, qvia id nollet, qvo in ca-

F

su

su dicere haud possemus illam cogitare.

121. Resp. Eam voluntatem menti non posse accidere, qvin ejus etiam esset conscientia, & per consequens, qvin cogitaret :

122. Obtendas, id verum non esse, nisi eo tempore simpliciter, qvo voluntas se determinaret ad non cogitandum, & postea quam auctus ille determinationis præteriisset, mentem amplius non cogitaturam.

123. Resp. aut Mens mutabit voluntatem primo momento post, quam erit determinata, aut eam non mutabit; si primum, conscientia erit istius mutationis;

124. Qvod si eam non mutat, prima cogitatio, per quam conscientia est istius voluntatis, manebit, atque ita semper cogitabit:

125. Nam quemadmodum corpus semper eandem retinet figuram,

ram, dum nihil ipsi accidit, qvod eam mutet, eodem modo & eadem cogitatio semper Menti præsens est, donec nova aliqua succedat.

126. Sed objicies ulterius, qvod, si mens perpetuo cogitaret à primo usque momento, qvo unita fuit corpori, meminisse nos oporteret aliquarum cogitationum, qvas in utero materno habuimus.

127. Resp. Nos dubitare minime, qvin singulis diebus mille & mille cogitationes habeamus, sive vigilantes, sive dormientes, quas tamen nullam servamus memoriam.

128. Qapropter non sequitur, Mentem ideo à primo usque momento non cogitasse, qvo creata, ac unita fuit corpori, qvod nullarum cogitationum memor sit, qvas habuit tum temporis:

129. Imo notari velim, Scholam etiam Aristotelicam per sua propria

pria principia agnoscere debere, Mentem semper cogitare; nam nullus est ex ejus spectatoribus, qui mentem humanam in classem rerum viventium non referat, vita & essentiam non constitutam, non in potentia agendi tantum, verum etiam in actione;

130. Unde manifeste sequitur, mentem, cum esse non possit sine Vita, nec vivere sine actione, nec agere sine conscientia, continuo debere cogitare, eamque tum desitutam, quando cogitare desinet.

131. Ex jam dictis non difficile erit demonstrare, mentem humana-  
nam esse immortalem, sive nun-  
quam annihilandam, sive existere  
cessaturam.

132. Notari tamen velim, nos quando statuimus, Mentem esse immortalem, questionem de potentiâ Dei absoluta non respicere; An nimis Deus absolutè lo-

quen-

quendo Mentem possit annihi-  
lare? Sed, an Mens natura sua im-  
mortalis sit, & ex Divino placito,  
corpo dissoluto superstes reman-  
sura sit substantia cogitans? an  
vero ipsa dissoluto corpore, cesseret  
existere?

133. Mirum certe est, licet o-  
mnes homines desiderent esse im-  
mortales, inveniri tamen Viros,  
qui bellum apertum immortalitati  
suarum Mentium indicant. Eam-  
que potius articulum fidei suæ fa-  
ciant, quam ratiocinationis suæ  
conseqventiam.

134. Verum licet hæc veritas  
multos experta sit adversarios, ha-  
buit nihilominus suos etiam de-  
fensores & patronos.

135. Ex nullius tamen principi-  
istam necessario ac manifeste illa  
sequitur, quam ex nostris, unde  
hæc conclusio tam commode, tam  
facile, ac tam evidenter potest elici,

ut mirari satis neq; veam, qvo pacto exprobrari Cartesio potuerit, eam non fuisse ab ipso demonstratam.

136. Nam cum nihil aliud praetendere valeant, qvi volunt animam suam esse mortalem, nisi qvod ea esse, aut agere non possit sine corpore, Cartesius autem monstraverit eos nimis esse deceptos, dum ostendit rem cogitatem realiter à corpore esse distin. Etam, eamque propterea esse posse, sine illo.

137. Nonne ostendit satis, eam corpore non habere opus ad exercendas suas cogitationes, qvoni am sine cognitionibus esse nequit?

138. Quantumvis enim valida ac arcta nobis appareat unio animæ cum corpore; qvia tamen ex iis una eademq; res fieri nequit, majori jure credimus, consideratis impedimentis, qvæ quotidiè sentimus

mus functionibus nostri intelle, Etus à corpore adferri, mortem libertati reddituram Mentem nostram, qvam suspicari possumus, eam corpus in morte ipsa comitari.

139. Non quidem ignorō, aliquas operationes Mentis obnoxias esse bonæ aut malæ corporis constitutioni, etiam dum sunt unita; unde putant aliqui merito concludi posse, qvando amplius unita non sunt, mentem ultra non agere, nec esse posse.

140. Verum hæc consequentia non magis valida est, qvam si quis egregio alicui pictori, qvem ex pacto obligatum esse videret ad præcise imitandum, qvicqvad alias ineptus pictor sive bene sive male in tabula pingendo exhiberet, toto tempore qvo ambo simul essent, tribueret errores omnes, qvos forte imitando illum bonus pictor, com-

committeret; aut si quis crederet, proprio eum Marte nihil egregium præstare posse, postquam essent separati; quia viderat ipsum ad aliquod tempus imitantem socii sui ignorantiam.

141. Eodem modo se res habet cum mente humana, leges unionis cum corpore (quemadmodum suo loco ostendemus) eam obligant ad imitandum quantum natura sua ipsi permittit, constitutionem corporis, cui juncta est, iis in cogitationibus quæ ab eo dependent.

142. Nos tamen propterea concludere non possumus, Mensem esse obnoxiam infirmitatibus corporis, aut esse amplius eam non debere, quando semel vinculum eorum ruptum fuerit.

143. Nam aliunde scimus perfectissime, duas esse substantias non tantum distinctas, sed omni-

no

no diversas, eoqve unio ista non nisi in admirationem potentiae & sapientiae ejus, qui hasce res tam arcte univit, ut videantur esse unum idemque, ducere nos debet.

144. Hac demonstratione contentus essem, nisi integre statum questionis illustrare, & omnes scrupulos quos habere quis posset, tollere desiderarem, qvod ut præstem, sequenti ratione progredi or.

145. Scimus Deum esse ens perfectissimum, atqve ideo immutabilem in suis voluntatibus, et si nobis videantur naturæ mutaciones, aliquid in ipso simile notare,

146. Nobisque ipse aliquando in Sacra Scriptura loquitur, ac si pœniteret, & voluntatem mutasset,

147. Id enim inde est, quia imbecillitati intellectus nostri se accom-

commodat, qvi finitus magis est, qvam ut concipere possit omnia, qvæ includantur in extensione decreti sui, modumqve, quo mutatur rerum naturam sine sui mutatione.

148. Per immutabilitatem istius decreti certi sumus naturaliter, eum, qvæ semel creavit nunquam annihilaturum,

149. Et per hanc cognitionem, qvam des Cartes de hac re habuit tantum profecit in suis principiis, constituitqve Deum eadem aetione, eandem quantitatem motus, & materiæ, qvam primitus produxit, conservare;

150. Ex hac unitate actionis, & ex hac immutabilitate nascitur vis, qvam unaqve res simplex & indivisa habet, se ipsam in eostatu conservandi, in quo est, nimirum qvæ moventur, in motu, qvæ quiescunt, in quiete, qvæ separata sunt, in sua separatione, & qvæ unita

nitæ sunt, in sua unione, usq; dum à fortioribus inde deturbantur.

151. Unde mox patet, mentem si Dei, qvi solus necessario existit, & qvi longè simplicior est qvam reliquæ mentes, absolutam potentiam spectes, possit qvidem ab eâ annihilati, qvanqvam, ex ipsis beneplacito non sit annihilanda;

152. Nihil enim videre possum, unde suspicari licet, eum illam voluntatem habere ut annihiletur.

153. Sed si ad cæteras res creatas respiciamus, nulla occurrit, à qua Mens annihilari possit.

154. Palam enim est, in creatis nihil dari, qvod in Mentem magis qvam ipsum corpus agat & agere possit, & à quo plura patiatur, qvam ab ipso Corpore, cui adeo arctè unita cernitur.

155. Sed hoc non habere vim annihi-

nihilandi mentem, mens ipsa sibi conscientia est.

156. Cum enim invitâ Mente, si absolute loquamur, nullas ipsi corpus inferre possit passiones, quanto minus totalem ruinam & interitum?

157. Deinde docet naturalis cognitio, nullum corpus esse nisi divisibile; contra nullam mentem nisi indivisibilem:

158. Neque enim possumus ullius mentis medium partem concipere, ut possumus cuiuslibet quantumvis exigui corporis;

159. Adeo ut eorum naturæ non modo diversæ, sed etiam contraria hac ratione agnoscantur:

160. Unde consequens est, ut si corpus sit corruptibile, quale re vera est; Mens è contrario sit incorruptibilis sive immortalis.

161. Tertio, Constat corpus humarum, quatenus à reliquis differt corpori-

corporibus, non nisi ex certâ membrorum configuratione, aliisque ejusmodi accidentibus constare, mentem vero non habere partes, sed puram esse substantiam:

162. Etsi enim omnia ejus accidentia mutentur, ut quod alias res intelligat, alias velit, alias imaginetur & sentiat, &c. non idcirco ipsa Mens evadit alia.

163. Humanum autem corpus aliud sit ex hoc solo, quod figura, quarundam ejus partium mutetur;

164. Ex quibus sequitur corpus quidem perfacile interire, mentem autem ex suâ naturâ esse immortalē.

165. Quarto, cum Mentis operationes sive cogitationes nobilissimæ & intimæ, à corpore non pendant, nec eo indigeant, quales sunt pura intellectio, ratiocinatio, contemplatio ac amor rerum spiritua-

tualium; seqvitur, remoto corpore eas actiones non tollendas esse, neqve desituras, adeo qve nec mentem ipsam, cui insunt, & à qvâ solâ efficiuntur, tollendam esse.

166. Qvinto, Nullum corpus ab-solutè perit; licet qvoad modos suos mutetur; atqve ita hoc cor-pus, qvod antea fuit, esse definat;

167. Manet tamen substantia & materia.

168. Si autem corpus, substantia illa ignobilis & minus perfecta, non annhilatur cum mensabillo separatur: cur mens, substantia longè nobilior atq; perfectior pueretur annhilati qvando ab ea separatur corpus.

169. Non interire autem ullum omnino corpus & ex sensuum ex-perientia de crassioribus corpori-bus; & ex ratione de subtilibus patet; ex iisdem igitur Mentis im-

immortalitas luculentissimè de-monstrabitur.

170. Nam Dei Justitia, Constan-tia, Sapientia, Sanctitas, Veracitas, Bonitas & Gloria, Mentis immor-talitatem asserunt firmissimè.

171. Qvod qvâ ratione, & qvan-tâ efficacia sit, solide & dilucide, ut solet. acutissimus Theologus & Philosophus D. Poiret in Cogitati-onibus suis Rationalibus exposuit & ostendit, qvo cupidum hujus ve-ritatis lectorem remittimus.

172. Atqve jam concludimus contra Doct. Virum Mentem, cum res sit plane distincta à corpore, atqve ens simplex, qvod perire ne-qvit nisi per annihilationem tota-lem, cuius nunquam in rerum na-tura vidimus exemplum, & qvam accidere debere nos non docet di-vina revelatio.

173. Et deniqve qvia semper co-gitat, & est indivisibilis, nunquam posse

posse desinere vivere, atque eo modo independentem esse à corpore, ut quando vel ipsum corpus esse desinit, mens firma ac stabilis permanstra, & in æternum subsistuta sit.

## CAPUT VII.

## De Mentis humanæ functionibus in se ipsa.

## I.

**P**ostquam Naturam Mentis Humanæ explicuimus, veniamus ad ejus functiones.

2. Principio non est quod admodum miremur, inveniri posse Homines, qui credant, se multò facilius posse cognoscere corpus, quam Mentem suam, cuius tamen ea

ea est natura, ut nihil in ipsa accidere possit, cuius non sit conscientia.

3. Hoc enim inde fit, quod nunc tantam curam ac sollicitudinem adhibeant examinandis Mentis suæ operationibus, quantum quidem adhibent in considerandis suorum sensuum objectis.

4. Neq; toties mentem determinant ad considerandas suas Cognitiones, quoties ad motus Corporis.

5. Sed relinquamus nunc eos, qui nullos alios seqvi volunt Duces, quam Sensus suos, suamq; imaginationem, & qui nobiscum non lunt attendere ad suas cogitationes, ut naturam Mentis suæ contemplentur.

6. Et pergamus nos in iis speculacionibus, quam tam feliciter hactenus nobis cesserunt: ut, quemadmodum illæ existentiam ejus, naturam, & immortalitatem pateferunt;

G

z.Eo.

7. Eodem modo etiam reliqua omnia, quæ nobis supersunt cognoscenda, circa ejus facultates, actiones & diversos cogitandi modos detegamus.

8. Omnes illæ facultates seu operationes, quæ cogitationes habent comites, ad duas species referri possunt;

9. Prima est earum, quæ proveniunt ex potentia, quam habemus percipiendi aut cognoscendi.

10. Secunda earum, quæ procedunt ex facultate volendi aut nos determinandi.

11. Omnes reveræ actiones. Nostrorum sensuum, nostræq; imaginaciones, omnesq; actiones intellectus, memoriarum ac reminiscientiarum, nihil sunt aliud, nisi diversi modi percipiendi;

12. Pari modo nostra etiam iudicia, inclinationes nostræ, nostri que appetitus, atq; omnes diversi mo-

motus voluntatis, nihil aliud sunt, quam diversi modi volendi & se determinandi,

13. Præter has, quæ omnes includunt aliquam cogitandi specimen, nulla est, quæ pertineat ad Mentem nostram.

14. Qvod ut melius capias, sciendum, me per facultatem cognoscendi in genere intelligere facultatem, quam habemus percipiendi, quamvis nullum judicium feramus, quocunq; modo illud fieri possit.

15. Intellectum purum sumo pro ea facultate, per quam mens conscientia est propriarum suarum cogitationum, atq; in genere omnium earum rerum, quas concipit sine ope alicujus ideæ corporeæ:

16. Jam hanc facultatem dico magis esse inseparabilem à Mente, quam ullam aliam, nam ut suo loco diximus, & infra dicemus, ad intel-

intelligendum mens nihil amplius reqvirit, qvam se ipsam & proprias suas notiones.

17. Ad sentiendum autem & imaginandum necesse est, ut corpus sit impulsu[m] & dispositu[m] certo aliquo modo per sua objecta, aut ad minimum ut Mens ad corpus se convertat.

18. Secunda species nostrarum cogitationum procedit, ut diximus à potentia, qvam habemus nosmet ipsos determinandi, dando aut negando assensum nostrum iis rebus, qvas percipimus.

19. Atq[ue] hæc potentia, non minus est essentialis menti, qvam potentia cognoscendi.

20. Et consequenter videmus, potentiam cognoscendi & se determinandi rivulos esse, qvi perpetua ex cogitatione fluunt, qviq[ue] à mente sunt inseparabiles.

21. Verum qvemadmodum necesse

cenze non est Mentem omni tempore atq[ue] in qvovis statu possidere omnes diversos percipiendi modos, qvorum qvidem ita capax est, ut nihil sit, qvod ab ea nunquam separari posset, nisi purus intellectus: ita etiam ex omnibus voluntatis motibus nulli sunt, qvi illi proprii sint, illamq[ue] perpetuo comitentur, nisi qvi pendent à clara & distincta cognitione.

22. Qvod ad reliquos attinet, quos communiter Passiones dicimus, qvi nimur nascuntur ex Mentis unione cum Corpore, & qvi producuntur, conservantur, & corroborantur, per motus aliquos particulares spirituum animalium,

23. Non sunt à Mente inseparabiles, neq[ue] etiam Mens definieret, esse, id qvod est, hoc est res cogitans, qvamvis eo Passionum generare privaretur.

24. Sed licet hæ duæ percipiendi nimirum & volendi facultates, sint duæ proprietates essentiales Cogitationis, nosq; in idea re cogitantis concipiamus prius potentiam cognoscendi, qvam volendi.

25. Nobilior tamen est hæc, qvam illa, qvia minus pendet in sua actione à rebus externis, hæcq; potentia volendi & nos determinandi adeò est nostra, ut alterius serva esse non possit.

26. At vero Cogitationes nostra sæpe non dependent à nobis,

27. Neq; tamen magis inter se & à mente, cujus tanquam rivuli sunt, distinguuntur, qvam figura, & motus corporis, a corpore & eius extensione.

### CONSECTARIA.

1. Qvod nihil Doctiss. Vir de functionibus Mentis humanæ in se, qvicquam clarè & distinctè aut pro-

protulerit, aut etiam proferre potuerit, mirum non est, ut qvi nimis corporeas cogitationes (ut sic dicam) in toto hoc scripto habuerit.

2. Neq; etiam Mentis naturam à natura Corporis, satis accurate distinxerit & conceperit, ut supra satis ostendimus.

3. Unde neq; operationes seu functiones harum duarum distinctissimarum substantiarum assequi, easque distinctè à se invicem considerare potuit.

4. Qvia tamen aliqvid de operationibus Mentis passim Cap. II. maximè §. 29. usq; ad finem Capitis protulisse videtur, Mens autem eas maxime sensuum ministerio, ut ipsem Doct. Vir fatetur, exerceat, & semper aliquæ rerum corporearum ideæ in iisdem concurrent, easque præcedant, vel sequantur, & occasionem dent ut

aliæ idæ versus hanc vel illam rem determinentur, & sic quoque omni momento commonefaciant atque intime nos consciens reddant arctissimæ unionis, quæ inter Mensem & Corpus intercedit; earum accuratius examen differemus usque ad Cap. X. ubi latissimus appetitur campus, de iisdem disserendi.

5. Unicum tamen hic notabo, quod nimirum Doct. Vir credat, mentem humanam non alias contemplari species, quam Schemata & imagines, quas credit objecta externa per motus sensuum nostrorum, nostramq; imaginationem recipere, Vide Cap. III. §. 29. de Introductione.

6. Qvod certè crassissimus est error, communis tamen.

7. Pauci etenim sunt, qui sibi non imaginentur animam suam, parvi Angeli instar ut D. Chanet loquitur in cerebro suo domiciliu

um habere, ubi contemplatur species, quæ ab objectis, vel, ut cum Doct. Viro loqvar, à motu corporum exteriorum per organa sensuum, ipsi adveniunt ut totidem diversas imagines vel schemata, in quibus quicquid foris accedit, exhibetur, eodem fere modo ac homo, qui speculum inspicit.

8. Qvibus verbis, quicquid alias de actione sensuum & imaginatio- nis dicat, satis significat se minime credere mentem humanam opus habere aliis ideis, quam schemati bus corporum exteriorum per motum eorundem cerebro impressorum, Cap. III. §. 17. Introd. quæ alii appellant species reales, alii species intentio- nales.

9. Hic error, ut iis maxime nocet, qui naturam mentis suæ cognoscere volunt, ita Doct. Viro obstat, quo minus rem acu, ut dicitur, tetigerit,

10. Non enim minima pars præjudicij infantia nostræ est; quod durante mens humana nullam exequitur functionem, quam non aliquid corporis motus comitetur, nullamq; eo tempore habet cogitationem, quæ non sit excitata & fota per aliquam speciem corpoream.

11. Qvod si autem aliquam habeat, quia non satis ad eam attinet, sibi persuadet, corpus, cui juncta est, non esse quid diversum ab ipsa, & duo illa esse revera unum, idemque, ideasq; quas habet, non differre a speciebus materialibus, quæ eas inseparabiliter comitantur:

12. Qvod accidit, quia tum per intellectum purum agere nequit obrationes, quas in sequentibus dicimus, nihilq; animadvertisit adhuc, quo ab errore retrahatur.

13. Hic

13. Hic error facit præterea, ut Mens nostra in aliud errorem incidat: nam cum lumen naturale dicit, causas idearum nostrarum formaliter, aut ad minimum eminenter continere debere qualitates, quas repræsentant idea, atque ita aliquo modo debere esse similes rebus, quarum sunt idea:

14. Cumque videamus eas semper junctas esse speciebus corporis, a quibus illas dum non distinguimus, mens credit species istas semper esse similes objectis, quorum occasione eas recipit,

15. Et sic pedetentim formamus istud præjudicium, quod species corporeæ sint plane similes objectis, & quod objecta formaliter possideant quicquid nobis per ideas repræsentatur, quas de iis habemus, quamvis etiam sint confusissimæ.

16. Id cum ita sit, mihi optimum  
G 6 reme-

remedium videtur, quo ab ipsis  
præjudiciis liberemur, & differen-  
tiam specierum corporearum, &  
idearum, quas mens immediate  
contemplatur, agnoscamus, mon-  
strare maximam partem specierum  
non esse imagines, neque schemata,  
ut Doct. Vir loquitur, objectorum  
quorum cogitationem in nobis ex-  
plicant:

17. Atque etiam ipsam similitu-  
dinem, quæ in quibusdam forte in-  
veniri potest, non esse causam cur  
ita concipientur, & per consequens  
ideas mentis omnino aliud quid  
esse debere, quam species corpo-  
reas.

18. Hoc ut clarius fiat, aliquid  
prius de substantiæ corporeæ na-  
tura, item de facultatibus corporis  
propriis, nec non de unione men-  
tis cum corpore, & de actionibus  
quæ ex hac unione resultant dicen-  
dum.

19. Et

19. Etenim difficultas hæc tum-  
demum poterit clare & distincte  
decidi.

### CAPUT VIII.

## De Natura substân- tiæ corporeæ, maxime Hominis.

I.

**Q**Vanquam omnes, quæ no-  
bis insunt, notiones suam  
in Mente, tanquam in suo  
subiecto, sedem habeant,

2. Certum nihilominus est,  
nosque experientia docemur,  
Mentem nostram omnes non con-  
cipere uno eodemque modo.

3. Omnes autem hæc notiones  
reduci queunt ad tres principales,  
& primitivas, quæ sunt quasi Ar-  
chetypi, ut Doctissimus Clerselier

G Z loqui-

loquitur, ad quorum exemplar, omnes alias rerum cognitiones formamus:

4. Hæ sunt notio, quam Mentis habemus, notio Corporis, & notio unionis quæ Menti cum Corpore intercedit.

5. Quantum ad Mentem solam, vidimus supra non aliam ejus nos habere notionem, quam Cogitationis, quæ comprehenduntur intellectus, perceptionis & voluntatis inclinationes.

6. Nunc quantum ad Corpus particulatum attinet, videamus quam ejus possimus habere notio-

nem.

7. Qvod ut breviter expediam, dico, non aliam ejus nos habere posse, quam extensionis notio-

nem, & quæ deinde sequuntur figuræ & motus notiones.

8. Unde porro efficitur, notio-

nem Menti, nihil in se continere,

qvod

qvod ullo modo ad notionem corporis pertineat, de quo supra.

9. Atque adeo, Corpus & Men-

tem duas esse substantias realiter,

distinctas.

10. Corpus organicum ita pro-

priam sibi existentiam atque existenti-

am habet, ut neque natura sua,

Mentis nullius creatæ copulatio-

nem postulet, licet in creatæ Menti

conservatione & concursu semper

egeat.

11. Patet id exemplo bestiarum, (ne dicam de machinis arte factis)

quæ corporibus humano corpori

similibus præditæ, existere, vivere,

operari absque mentis intelligentis,

vel animæ rationalis opera & con-

junctione possunt.

12. Qvando igitur Corpus &

Mens non se habent ut causa & effe-

tus, nec alterum ad alterius perfe-

ctionem vel existentiam pertine-

at,

13. Ac deniq; prorsus heterogenea sint entia, naturæ proprietate, viribus, actionibus, passionibus & omnino sejuncta,

14. Qva ratione conjungi & quidem tam arctè potuerint, ut unum *Animal*, qvod vocamus *Hominem*, componerent, cum cura & attentione singulari deinceps inqvirendum est.

15. Sed videamus primo uno atque altero verbo etiam functiones corporis proprias.

### CONSECTARIA.

1. Qvod supra §. 7. diximus, Corporis non aliam nos habere posse quam extensionis notionem, adeo & Corporis in genere considerati essentiam nos constituere extensionem, minime Doctissimus Vir ferendum esse putat, Cap. III. §. 13 num. (5), ob rationem, qvod cor.

corpus subjectum extensionis à Cartesio ipso statuatur.

2. Ipse autem Doct. Vir postulat, dari formas substantiales, qvas ab homine ignorari fatetur, dicto Cap. §. 14. Sed nisi fallor non serium hoc est ejus postulatum, alias certe melius fecisset, si potius nihil de eo, qvod nescit locutus fuisset.

3. Nos de formis istis substantiis aliq; vid seqventi consecratio adjiciemus, in præsenti autem, Qvæstionem de essentia Corporis, an ea sit extensio, explicabimus, atq; recentioribus naturæ mystis sacrarum Scientiarum amplissimæ referare conabimur.

4. Atq; ve principio facile largior, multa reperiri qvæ rebus naturalibus inesse aut ratio judicat, aut sensus indicat, aut Philosophi credunt.

5. Primò enim in iis agnoscitur extensio in longum, latum & profun-

fundum; figura, qvæ exterminatione exten-sionis illius exsurgit, situs qvem diversis prædita figuris inter se habent; motus vel mutatio-situs; & Ques vel perman-sio in eodem situ.

6. Ad qvæ facile referuntur, partis alterius extra alteram posicio, di-visibilitas, continuitas, quantitas, & ma-gnitudo; raritas item ac densitas, po-ro-sitas, & soliditas; locus & distan-tia & similia.

7. Deinde percipiuntur in sub-stantiis corporeis variæ qualitates sensiles, ut lumen & colores, soni, sapores, odores, calor, & frigus, gravitas & levitas, durities & mollities, aliqve tactiles qualitates.

8. Deniq; Philosophi superiori-bus addunt qualitates occultas, easq; una cum sensibilibus seu manife-stis plerumq; à forma substantiali, quam cuiq; rei naturali tribuunt, secundum illud vulgare, forma dat

date esse rei, originem habere de-cernunt.

9. Jam qværitur, in qvoniam ex istis omnibus formalis corporeita-tis ratio consistat, qvodnam sit in-ternum illud principium, per qvod substantia vere est ac dicitur cor-porea seu materialis, qvo posito ipsa ponitur, qvo ablato ipsa tolli-tur, qvo variato ipsa variatur:

10. Hoc est, -qvænam sit positiva atq; absoluta corporis essentia seu natura.

11. Et qværitur hoc non de aëre, terra, auro, lapide aliave re corpo-reæ speciatim; sed de corpore ge-neraliter atq; ve universè: seu par-vum illud seu magnum, seu terre-stre seu cœlesti, seu finitum seu in-definitum illud fuerit, nihil in-terest?

12. Quid autem per essentiam rei intelligam adhuc clarus di-cam, nimirum essentia seu natura-rei

rei alicujus vocatur id, qvod tali rei omni, soli, semper convenit, ita ut nihil *et prius in eadem re percipere possimus.*

13. Hoc autem postremum addo propter *proprium* quarto modo sic dictum, qvod ipsum etiam essentiam necessario seqvitur, & qvod proinde omni, soli & semper competit, sed ita ut eo prius quid possit in re concipi, nempe ipsa rei essentia seu natura, quam proprietas seqvitur, ut cogitare & loqui solemus.

14. Ex his facile jam liquet, frustra eum fore, qui pro essentia corporis formam substantialē hoc loco voluerit assignare.

15. Nam illa forma, qualiscunq; tandem esse putetur, aut materialis aut immaterialis sit, necesse est:

16. Si immaterialis, non potest rem

rem materialem, qva talis est, interne constituere.

17. Si materialis, remanet quæstio, in quo consistat rei materialis essentia, cui quæstiōni formæ substantialis nomine nunquam satisfiet.

18. Occultas quidem qualitates, nemo facile, ut arbitror, ad essentiam corporis constituendam facere dixerit, qui eas pro certis agendi viribus ac proprietatibus substantiali ipsam consequentibus haberi noverit.

19. Et præterea cum boni Philosophi hæc debeat esse perpetua regula, nihil ut judicet unquam, nisi dare clarè distincteque percepta,

20. Vitio nobis verti non poterit, qvod occultas qualitates, ipsasq; formas substantiales, qvas ipsime earum assertores etiam incognitas esse prohibent, hac vice desermus.

21. Adde qvod explicatio natu-  
ræ corporeæ primum est Physicæ  
principium, & qvod principii hæc  
prima conditio, ut qvam maxime  
clarum sit.

22. Qvia ex principio non evi-  
denti conclusio deduci evidens  
potest nulla.

23. Et si essentia rei corporeæ in  
ignoto qvodam ponenda esset,  
Physicam humanam nego confi-  
stere posse.

24. Sed progrediamur ab oc-  
cultis, & obscuris ad eas qualitates,  
qvæ manifestæ sensibilesq; appel-  
lantur.

25. Hic ut absqve offensa pro-  
grediamur, duo nobis præjudicia  
evertenda veniunt, *generale*, & *spe-  
ciale*.

26. *Generale* est, qvod ab ineunte  
ætate cuneti existimavimus, cor-  
pus omne sensibile esse debere, ita-  
qvidem, ut ubi nihil esset, qvod sen-

sus

sus nostros afficeret, nullum etiam  
corpus esse putaremus.

27. Atq; hinc est qvod multi et-  
iam ex adultis & doctis credunt, ad  
corporis naturam omnino perti-  
nere, esse sensibile, neqve illud ali-  
ter definire oportere.

28. *Speciale* est, qvod præcipue  
duritiem & gravitatem ad corpus  
qvæ corpus reqviri, infantes arbit-  
ratim sumus.

29. Unde matura etiamnum æ-  
tate pleriq; omnes opinamur, plus  
esse corporeitatis in saxis & metal-  
lis, qvam in aqua & aëre, & genera-  
tim ubicunq; plus duritiei ac pon-  
deris experimur, plus etiam cor-  
poreæ substancialiter reperiri.

30. Jam verò ut opinones has  
deponamus, consideremus impri-  
mis tantum abesse, ut omne corpus  
sensibile sit, ut ne qvidem ullum ex-  
istat, qvin plane sit insensibile, dum  
modo in particulas nervorum no-  
stro-

strorum partibus multo minores,  
& singulas seorsim satis celeriter  
agitatas divisum fuerit.

31. Nihil quippe sensum in no-  
bis efficere potest, quin moveat  
nervos membrorum nostrorum.

32. At nervi non sunt minutissi-  
mi, sed funicularum instar è mul-  
tis particulis minoribus conflati,  
nec proinde à minutis admodum  
corporibus moveri possunt.

33. Ergo valde minuta corpora  
non sunt sensilia. Qvis tamen  
corpora ea esse neget?

34. Qui demonstrationem istam  
non capit, eandem veritatem ex-  
perimento discet, si filum sericum  
rubrum, aliove colore tinctum in-  
quotcunq; potest tenuia filamenta  
dividat. sic enim nullus in iis co-  
lor amplius apparebit.

35. Qvod autem hic de colore  
advertis, simili pacto ad alias sen-  
siles qualitates accommodabis.

36. Et

36. Et quotidiana experientia  
docet, non modo rem coloratam  
colorem posse amittere, sed etiam  
odoratam odore posse destitui, sa-  
pitam sapore posse privari, atq; ita  
de cæteris, adeoque corpus posse  
retinere veram naturam corporis,  
quamvis non sit ad sensum molle,  
nec durum, nec frigidum, nec ca-  
lidum, nec deniq; habeat ullam  
sensibilem qualitatem.

37. Et quantum in specie ad du-  
ritiem attinet, nihil de duris cor-  
poribus sensus nobis indicant,,  
quam qvod resistant tactui, sicut è  
contrario molle tactui cedit.

38. Jam si manus aliudve mem-  
brum nostrum versus aliquam par-  
tem moveretur, & corpora interim  
omnia ibi existentia recederent,  
eadem celeritate, qva manus no-  
stra accedit, duritiem certè nullam  
sentiremus.

39. Sed an ideo, corpora sic rece-  
den-

dentia naturam corporis amisisse cogitare liceret?

40. Sed præterea quid est manifestius, quam rem mollem posse indurari, duram emolliri, non amissa nec propter hoc, nec propter illud corporis essentiâ?

41. Si molle est, quod facile cedit tactui, quid mollius aëre? At includatur vesicæ, durus erit, resistet enim tactui, haud secus ac sanguum aliquod; quia vesicâ quasi carcere coercitus recedere nequit.

42. Frumentum durum est, conteratur in farinam, erit molle. Farina compingatur in saccum, erit durior, dispergatur postea per aerem, erit molissima.

43. Sed ponamus, corpus omne esse sensibile, nec posse sensibiles omnibus qualitates simul à corpore tolli, quamvis hæc aut illa auferatur, natura ejus integra remanente,

44. An

44. An inde efficietur, corporis essentiam in sensibilitate consistere? Nullo modo.

45. Nam quid aliud est sensibilitas, quam *externa corporis ab habitudine ad sensus humanos petitæ denominatio?*

46. Quid autem respectus ille, ad positivam atque absolutam, quam solam quærimus, corporis essentiam? Quasi verò corpus esse nullum posset, nisi homo, nisi sensus essent.

47. Sed Corporis essentiam quærimus. Hæc autem in formis & qualitatibus consistere nequit, quoniam hæc omnia principia activa. At Corpus seu quod idem est, Materia, est aliquid passivum, ut loquuntur.

48. Postquam ita cognovimus, nullum sensibile quatenus tale, ut corpus verè sit corpus, efficere;

49. Examinemus porro, num  
H 2 quid

qvid intellectu clarè & distinctè  
queat percipi, qvod corporis essen-  
tiam constituat.

50. Certe qvæ §. 5, 6, 7, 8. supra-  
recensuimus, maxime in primo  
ordine, clara sunt, ac manifesta o-  
mnia, nihilqve amplius inqviren-  
dum restat, qvam qvid ex illis pri-  
mum sit & potissimum, & quasi ra-  
dix cæterorum.

51. Præit hîc nobis Clarissimus  
Claubergius modo sequenti rem  
deducendo;

52. *Situs*, inquit adeoq & *locus*,  
distantia & *motus* ponunt esse figu-  
ram in corporibus, qvæ jam in  
mundo divisa sunt ac distincta.

53. Si ipsam cunctarum rerum  
divisionem primo per motum fa-  
ctam esse contendas, utiqve etiam  
ille corpus dividuum & extensum  
præsupponebat.

54. Ad figuram pertinent rari-  
tas

tas ac densitas, porositas ac soli-  
ditas.

55. Namqve ut ratione exterio-  
ris configurationis corpori tribuitur  
lævitas vel asperitas; ita ratione  
interioris Schematismi & configu-  
rationis partium porosum dicitur,  
aut sine poris, hoc est solidum.

56. Adhæc raritas ac densitas  
non nisi in pororum dilatatione &  
imminutione, vel omnimoda sub-  
latione vertitur, ut in Physicis ube-  
rius explanatur. Qvapropter hæc  
& similia ad figuram pertinent.

57. *Figura* verò ipsa ponit esse ex-  
tentioñem, ex cuius terminatione  
oritur.

58. Nam si extensem intermina-  
tum cogitemus, nullam ejus figu-  
ram agnoscemus; concipere enim  
possimus figuram omnem auferri  
ab aliquo corpore, nempe sublato  
illius & contiguorum corporum  
motu. Sic enim nulli extensionis

termini, adeoque nec figuræ relin-  
quuntur.

59. Considera globum prorsus  
densum simili substantia undique  
que ambiri, quæ mox cum eo pro-  
fus coalescat in unum corpus, & fi-  
guram globi illius sublatam cer-  
nes.

60. Percipere quoque possumus,  
figuram tolli ab omni corpore, si  
quidem posita interminata totius  
universi extensione, universaliter  
ei quietem attribuamus, aut nul-  
lum in eo motum esse, vel fuisse co-  
gitemus.

61. Atque sic dupli argumen-  
to discimus, in figura non sitam ef-  
fe corporis essentiam, tum quia  
telli ab eo potest, tum quia, ut ut  
telli non posset, extensionem præ-  
supponit.

62. Præterea ad extensionem  
referebamus partium extra partes  
positio-

positionem, continuatatem, divisibili-  
tatem, quantitatatem, magnitudinem.

63. Nunc penitus inspiciamus,  
quidnam ex his primum sit in con-  
ceptu nostro, quid in corpore inti-  
mum, quid denique maxime posi-  
tivum atque absolutum. Illud e-  
nim solum essentiam corporis vo-  
care liceat.

64. Evidem si quis tria ista, ex-  
tensionem, quantitatem, magnitu-  
dinem pro re eadem velit sumere,  
neque aliud hoc vocabulo, aliud il-  
lis designari pertendat, nolim cum  
eo contentionis ferram diu reci-  
procare.

65. Attamen si lubeat rem pen-  
siculari subtilius, non videtur o-  
mnino negari posse, extensum esse  
quid in corpore magis absolutum,  
quantum verò & magnum, esse  
magis respectiva quandoquidem  
uti quantum ad tantum, ita ma-  
gnum ad parvum refertur.

66. Neque ipsa quantitatis appellatio aliud menti exhibet, quam certam determinationem & mensuram extensionis.

67. Hoc enim sibi vult quæstio, quæ rogamus, quantum est? Wie groß? Ubi ponis veluti notum, esse aliquid magnum seu extensum, nec aliud quæris quam illius magnitudinis vel extensionis mensuram. Confer Ontosoph. Claubergii §. 102.

68. Adeoque prior est & potior extensionis, quam quantitatis conceptus. Quid multò magis de magnitudine etiam dabunt Philosophi, qui eam speciem quantitatis faciunt.

69. Porro divisibilitas præsupponit extensionem, estque corpus divisibile, quia extensum: non vero extensum, quia divisibile. Deinde divisionis conceptus negatus est, extensionis non item.

70. Quid

70. Quid autem corpus habet, partes, quarum alia est extra aliam posita, ita ut haec illam penetrare non possit, sed cum ea per extremitatem suam juncta continuum faciat &c. id totum in relatione positum est, atque insuper divisionis ac terminationis conceptum, utrumque negativum, præstruit.

71. Canon Logicus est: *divisione non sit nisi in ea que insunt.* Antequam igitur res dividatur, ponitur esse; ponitur aliquid ei inesse. Hoc autem in corpore est, extensum esse.

72. Quid ergo jam remanet praeter ceteris positivi atque absoluti?

73. Resp. *Extensio.* Extensio est quæ essentiam corporis constituit, quæ sola nequit à corpore divelli.

74. Quamvis enim in extenso habitudinem partium ad invicem facile comprehendamus, possimus tamen optimè extensionem,

H 5 men-

mente concipere, etiam si de illa habitudine nequaquam cogitemus, & possumus concipere corpus indefinitum atque interminatum, in quo nil nisi extensio consideretur.

75. Extensio igitur essentia corporis est, à quo ne cogitatione quidem potest separari.

76. Qualis vero extensio? nam & scientia, & vita, aliaque extendi dicuntur,

77. Resp. Extensio corporis est in longum latum & profundum, quam ex fluxu superficie provenire cogitat Geometra.

78. Neque alia extensio corporis sub cogitationem humanam cadit praeter eam, quae in longitudine, latitudine & profunditate consistit, tametsi modo unam existit dimensionibus solam, modo duas, modo omnes tres pariter attendamus.

79. Tan-

79. Tandem extensionem intelligimus, cui divisibilitas figura, situs & aliæ corporum proprietates insunt, quo tanquam idoneo subiecto sustentantur omnia quæ sunt in corpore.

80. Quid ergo restat nisi ut manus dent adversarii negantes corporis essentiam esse extensionem, atque jam extensionem pro vera essentia corporis agnoscant?

81. Putantne, sicuti vulpes elusa à ciconia, se lambere vas vitreum, pultem non attingere? Habent pultem, qua saturari possunt ac debent, refrenent aliquando cupiditates immodicas, quod appetant reliquum est nihil.

82. Omnia enumeravimus, omnia ordine perlustravimus, & inventimus tandem extensionem, eam realem, substantialem, denique essentiam corporis esse contendimus.

H 6

83. Sed

83. Sed tamen oggeritur, me  
fucum facere, obtrudendo corpus  
Mathematicum de Categoria,  
Quantitatis, in locum Corporis  
Physici de Categoria substantiæ,  
cum diversa hæc sint.

84. Ecce novum p̄iæjudicium,  
in qvod tamen non tam cœco judi-  
candi impetu sponte prolapsi,  
qvam à præceptoribus pueritiae  
nostræ inducti fuimus.

85. Nimirum simul ac primis  
Lycéi sacris sumus initiati, decem  
esse rerum Classes audivimus; ex  
illis substantiæ primam, Quantita-  
tis esse secundam; duo illa distin-  
cta esse rerum genera; extensio-  
nem corpori convenire non ratio-  
ne substantiæ suæ, sed ratione  
quantitatis &c.

86. Sic docebant Præceptores  
nostrí, nec raro illud accinebant,  
discéntem oportere credere.

87. Nunc verò, posteaquam non  
qui-

qvidem è discéntium, sed tamen  
ex eorum numero, qvos oportet  
non intellecta credere, esse desig-  
mus, proprio uti iudicio licere no-  
bis existimamus.

88. Qvaro igitur ex illis & per-  
cunctor, qvid per substantiam in-  
telligant, qvam à quantitate & ex-  
tentione distingvunt? Ecqvænam  
ista est substantia, à qva extensi-  
onem cogitatione avulserunt?

89. An corporea? Nihil minus.  
Quid enim in ea concipi potest,  
qvod corpus redoleat? Motus abest,  
figura, situs, locus, magnitudo; ablata  
sunt raritas, densitas, longitudo, lati-  
tudo, profunditas, deniq; omnia  
desunt, qvæ à Deo materiali sub-  
stantiæ fuerunt attributa, qvæq;  
voluit conditor optimus percipi  
ab homine Sapientiæ ac Perfectio-  
nis suæ spectatore.

90. Respondeant jam illi qvid a-  
nimo concipient? Profectò vel

nihil omnino est id, vel si aliquid est, præter confusum substantiæ corporeæ conceptum, quem falso tum corporeæ tribuunt, nihil esse potest.

91. Dicam uno verbo quod res est, habent verum substantiæ corporeæ conceptum, quo extensio nem apprehendunt; sed eam deserunt tanquam ignobile accidentis (nam qualitates multoqve magis formas substantiales quantitati præferunt.)

92. Stabilius aliud atqve solidius & essentialius magis, (quod re vere tamen subest nullum) expertes, simili Cani Æsopico, qui carnem ore ferebat, sed umbram captans non modò nihil acquisivit novi, verum etiam quod habebat, perdidit. Sed de his satis.

## CAPUT

## CAPUT IX.

De Facultatibus  
Corporis propriis.

1.

**Q**uemadmodum ab ineunte aetate, plurima secundum sensus judicare assueti sumus,

2. Ita accedit, ut neque in distinguendo facultates corporis, à facultatibus Mentis, à tali præjudicio nobis satis caverimus.

3. Unde, quia per multas facultates corporis experti sumus obsequi voluntati, quæ una est ex animæ facultatibus; hinc animum induximus credere, animam seu Mentem esse omnium illorum principium.

4. Hicqve error exinde quoqve fuit confirmatus, quia cum experi remur,

remur, omnes motus in corpore desinere, quando morimur, & corpus ab anima deseritur, conclusimus eam esse, quæ illos producat.

5. Sed sciendum est, non magis animam nostram esse, quæ motus, quos à voluntate nostra regi non experimur, in illo excitet, quam esse animam aliquam in horologio quæ efficiat ut horas indicet.

6. Si autem quæras, quid ergo nos per functiones seu facultates corporis intelligamus, Sic habe:

7. Qvod per functiones corporis, ab organorum tantum dispositione pendentes, non intelligentia sunt simpliciter naturales, & vitales functiones, sed insuper etiam animales.

8. Hoc est, spirituum animalium, nervorum, muscularum, & consequenter membrorum motus;

9. Quatenus motus iste à cogitatio-

tatione, aut voluntate nostra non pendet:

10. Omnes enim ita actiones in aliquo automato concipi haud ægre possunt, quemadmodum ex tractatu de Homine Renati des Cartes liquet.

11. Labor itaque, qui in corde est, haud erroneè statuitur primum mobile, ac omnium principium, quin corpore fiunt, motuum esse.

12. Venasque esse tubos, per quos sanguis ex omnibus corporis partibus ad cor deducitur, ut sit caloris, qui ei inest, alimentum:

13. Quemadmodum ventriculus & intestina sunt ad instar majoris cujusdam tubi, permultis exiguis meatibus perforati, per quos ciborum succus in venas defluit, quæ illud ad cor recta deferunt.

14. Arteriae vero iterum alii sunt tubi, per quos sanguis in corde ca-

lefa-

lefactus & rarefactus inde transit ad omnes alias corporis partes, secum illue deferens calorem & materiam alimenti.

15. Denique concitatores & vividores sanguinis hujus partes ad cerebrum dilatant per arterias, quod ex corde per lineas omnium quam maxime rectas protruduntur, componunt veluti aere quendam, sive auram subtilissimam, quod spirituum animalium nomine insinuntur.

16. Hi verò spiritus cerebrum dilatantes idoneum illud efficiunt recipiendis externorum objectorum atque etiam anima impressionibus, hoc est, ut fiat *sensus communis, imaginationis, & memoriae organum* sive sedes.

17. Deinde verò idem iste aer, sive iidem isti spiritus ex cerebro per nervos in omnes musculos defluunt, quod operâ disponunt ner-

vos,

vos, ut sint sensum exteriorum organa; Musculosque varie distendentes, membris omnibus modum impertunt.

### CONSECTARIA.

1. Præcedentis Consectarii §.3. promisimus, nos hic agere velle, de Formis rerum substantialibus, quas sibi Doctissimus Vir dari postulat,

2. Quibus argumentis autem, doctissimi Viri Formas substantiales expugnaverint, & quomodo adversariorum argumenta refutaverint, nolo jam repetere, sed qui eorum lectionem desiderat, adeat Celeberrimi Philosophi Johannis de Raej Clavem Philosophiæ Arist. Cartesianæ.

3. Speciminis tamen gratiâ unum & alterum attingam, quod crambem centies recollectam quidam hodie urgere non dubitant.

4. Quia

4. *Quia datur, inquit, materia prima actuanda in substantialiam Phisicam, ideo & formas dari substantialies necesse est. Nam ista actuatio ab accidentibus esse nequit, etiamsi omnia simul concurrant. Quia enim accidentia non inducantur nisi in substantialiam, manifestum est, ea substantialiam constitutere non posse.*

5. Resp. Verum est primo, accidentia non posse constituere substantialiam; verum deinde etiam est, nihil substantialie inveniri in rebus corporeis praeter materiam; denique verum est; illos modos, qui respectu materiae generaliter considerantur accidentia vocantur, id posse efficere, ut substantialia sit ac dicatur talis, utque judicetur esse haec res naturalis, & non alia.

6. Hinc tamen non sequitur dari formas substantialies. Vide quod Clarissimus Claubergius jam olim scripsit in defensione Cartesia:

pag.

pag. 476. & seq. item Phys. Contract Cap. III. §. 121. & seq. ubi etiam cognoscet, quomodo generatio & corruptio fiant absque ullius formæ substantialis adminiculo.

7. Urgent ulterius, quod specificalerum naturalium differentiam accidentia constituere nequeunt, cum nullum detur accidentis materiale, quin possit pluribus speciebus esse commune, nec ulla species quæ non possit habere accidentia diversa in suis individualibus

8. Resp. Nullum quidem accidentis materiale existit, quin universaliter atque indefinite acceptum, & per se solum spectatum possit, esse commune pluribus speciebus.

9. Exempia sunt figura, motus &c.

10. Sed talis ac tanta modorum certo numero, certis gradibus definitorum comprehensio pluribus speciebus communis esse nequit.

II. At-

11. Atqvi in tali tot modorum certis gradibus ad materię mundanę partem aliquam, ejusq; particulas omnes definiendas concurrentium comprehensione Formam eiusq; rei naturalis collocamus, ut ex supra citatis locis atq; alii unde daret.

12. Exemplum pete à Materia primi elementi; qvam descripsimus Physicæ Contractæ §. 432. Cap. XIII. & seqq. Unde disces, qvaslibet figuræ induendi proprietatem, indefinitam in particulas usq; & usq; minores divisibilitatem, & motum celerrimum, hac tria, in qvam, talia, tali modo conjuncta nulli rei naturali nisi elemento Ignis convenire.

13. Qvamvis interim figura, divisibilitas, & motus generaliter spectata, cunctis rebus naturalibus communia sint.

14. Qvod species diversa accidentia

dentia in suis individuis habet, hoc pertinet ad individuales horum differentias.

15. Modificationis in partium numero, in partium ac totius magnitudine, in figura, situ, motu vel quiete, qvæ extrinsecus & intrinsecus in rebus naturalibus consideranda, diversitas, diversitatem specierum inducit, atq; e contrario talis modificationis identitas arguit, identitatem specierum.

16. Inde tamen neq; vaqvam sequitur, sub eodem genere univoco contineri hominem vivum & cereum, ut Amicus qvidam mihi ex Claub. objecit.

17. Nam i. in homine vivo, ut iussus Clariss. Claub. verbis respondeam, præter corpus & ejus modos, rationalis anima vel maxime spectanda est, qvæ cum formis corporeis nihil commune habet, ut suo loco vidimus.

18. 2. Cor-

18. 2. Corpus humanum & cera licet quoad aspectum exteriore figura quodam modo convenire videantur, partium tamen similarium dissimilarum tanto numero, figura, magnitudine, situ & nexu, motu & quiete haud quam conueniunt.

19. Sed instet alius: Agentium naturalium limitata & propria functiones formam substantiam requirunt. Canis latrat, ignis calefacit. Accidentia nihil agunt, sed actionis instrumenta sunt, ipsae vero actiones sunt superpostorum.

20. Resp. Respondit jam olim Clar. Claub. huic objectioni cum inquit: Peculiaris etiam & propria functio est clavis, calami item scriptorii: utrobius sola dispositio in figura, motu &c. id praestat.

21. Quomodo autem forma substantialis praeterea requiratur vel quomodo haec, si adsit, talia praestare

stare valeat, ne intelligi quidem potest.

22. Simile cogita de rebus corporeis, quæ naturales dicuntur.

23. Summa summarum. Fons erroris est hic unicus, quod considerationes Logicæ, quæ sola mente versantur, finguntur in rebus extra mentem consistere.

24. Si nescis quomodo unum, idemque ut esse entale & accidentale diverso respectu considerari possit, id disce ex Logica Clariss. Clauberg. part. I. quæst. 95. & applica ad formas rerum corporeas.

25. De formis autem substantiis fusiis videre potes Celeber ad Amstelam Philosophi D. Johan. de Raej. in Clav. Philosoph. Aristo. Cartesianæ.

## CAPUT X.

De Unione Mentis  
cum Corpore.

1.

**A**bsoluta duarum essentialium partium hominis, Mentis nimirum & Corporis tam quoad essentiam quam peculiares functiones consideratione.

2. Propius thema nostrum, quod erat *Subiectum Logice*, tanquam compositum quid, inspicere instituti nostri ratio svaldet.

3. Atque quomodo jam istæ duas partes componentes tota natura diversæ tam arcte uniri potuerint videamus.

4. Principio tenendum, unionem hanc inter Mentem & Corpus adeo esse mirabilem, ut non putem

## LOGICÆ CARTESIANÆ. 195

tem in naturali rerum serie quicquam esse quod majore dignum sit admiratione, & quod magnitudinem potentiaz & sapientiaz divinæ clarius demonstret.

5. Sed certe adeo etiam difficilis conceptu videtur, ut hæc sola difficultas omnes eos in errorem induxit, qui credunt animas suas esse mortales & materiales.

6. Adeoque maximi momenti opus præstiterimus, si efficiamus ut ea bene cognoscatur, non tantum quia ejus cognitio est pulcherima, se vel etiam quod unicum sit medium, quo illi qui in errorem eum incident retrahi possunt;

7. Verum etiam quia sine ea concipi nequit, quid mens humana privatim & ab aliis mentibus diversum habeat:

8. Denique quia nemo rectius ex infinita difficultatum & objectionum multitudine extricare se

poterit, qvam per claram distin-  
ctamqve explicationem modi, quo-  
mens & corpus simul sunt unita.

9. Ut autem hoc ipsum accurate  
breviter tamen præstems, placet  
præente nobis Clarissimo Claub.  
ostendere;

10. Primò, qvæ causæ sint, qvæ  
hanc unionem conceptu diffici-  
lèm reddunt, & qvomodo in gene-  
re substantia extensa, & ea qvæ co-  
gitat, fœdus simul inire possunt:

11. Secundò, ex qvibus indicis  
cognosci possit, mentem humanam  
ita cum corpore suo esse unitam; &  
qvis sit modus particularis ejus u-  
nionis, qvo differat ab unione e-  
iusdem mentis cum objectis inter-  
nis aut externis, corporibusqve à  
suo diversis.

12. Tertio dicam, qvæ sint causa  
istius unionis, qvando & qvomo-  
do illa incepit, qvam diu sit du-  
ratura, qvid eam possit rumpere.

13. Et

13. Et deniqve qvæ sint hujus  
unionis conditiones, qvamve par-  
tem cum maxima præhabilitate  
suspici possimus, principalem  
esse mentis humanæ sedem.

14. Tandem in consecratio re-  
spondebo maximè ponderis objec-  
tionibus, qvæ huc adferri pos-  
sunt.

15. Qvod primum spectat, dici-  
mus causam difficultatis, qvæ plu-  
rimis occurrit in concipienda uni-  
one Mentis & Corporis, non tam  
ex rei natura oriri, qvam ex homi-  
nibus ipsis.

16. Nec non ex modo, qvō eam  
secundum placita Philosophiæ Pe-  
ripateticæ considerare tenentur.

17. Ab ipsis hominibus oritur,  
ista difficultas, propter præjudicia  
infantia, qvæ cum per longam ha-  
bitudinem roborantur, tantam  
ipsis difficultatem in concipienda  
aliqua re, qvæ non extensa sit, pe-

I 3

pere-

pererunt, ut id ipsis plane impossibile factu videatur.

18. Verum Philosophia Scholastica eam difficultatem non minus cognitu difficultem reddidit, quam præjudicia infantiarum;

19. Nam cum ex una parte doceat essentiam mentis in eo consistere, quod non sit extensa, & ex altera statuat, naturam unionis duarum substantiarum consistere in locali præsentia unius ad alteram,

20. Simul aufert omnia hoc modo media concipiendi mentis ac corporis unionem;

21. Quomodo enim quis comprehendat, mentem, id est, secundum eos, substantiam, cuius natura in eo consistit, quod non sit extensa, posse extensam fieri?

22. Nam nullo alio pacto concipere possumus, quomodo localiter præsens esse possit substantia-

alicui extensæ, nisi ipsam etiam extensam concipiamus.

23. Ut hanc difficultatem evitent, dicunt mentem non esse extensam realiter, sed virtualiter, eamque extensionem virtualem sufficere ut sit coextensa & localiter præsens corpori, quod extensionem habet realem.

24. Resp. Eos hic non accusabo, quod non intelligent id quod volunt dicere, quamvis haud difficulter credere possimus id ipsis saepissime accidere, cum verba adducant talia, quibus nulla, quam explicare valent, idea in ipsorum mente respondet;

25. Sed concedamus, admodum clare ipsos comprehendere quid sit extensio virtualis, etiam necesse est id mihi concedant, nullū genus extensisonis posse nos cōcipere, quin eodem tempore plures partes concipiatur, quarum una est extra aliam;

26. Simulac autem una pars extra aliam percipitur, eadem opera cernitur duas esse partes, qvarum una sine alia concipi potest, & per consequens separatim existere;

27. Et sic est realis extensio, suntque partes reales, qvas menti tribuunt, cum putant se ei non nisi extensionem partesque virtuale concedere.

28. Haud possibile ergo est unionem mentis & corporis comprehendere secundum Principia Philosophiae Scholasticae.

29. Qvod si itaque desideremus d. tegere, qvalis esse possit unio, qvæ Menti cum corpore intercedit;

30. Necesse est Prima, ut ideam omnis generis praesentiarum locallium rejiciamus, aut eas ad minimum conemur concipere sine ulla extensione reali aut virtuali;

31. Mens enim prioris non est capax, & posterior non est nisi spe-

cio.

ciosus terminus, sub qvo occultatur confusa idea rei, qvæ non intelligitur, qvæque nihil lucis ab eo mutuari potest.

32. Secundo necesse est ut sedulo caveamus, ne persuadeamus nobis, eam unionem, quantumvis arcta esse possit, facere unam substantiam simplicem ex hisce duabus, aut mentem propterea fieri materialem, & corpus spirituale;

33. Manet enim utraqve post unionem idem, qvod erat antea, nec minus sunt duæ substantiæ, qvæ retinent id omne, qvo distinguebantur inter se se ante unionem.

34. Tertio, ne cogitemus eam unionem fieri per id, in quo sibi invicem opponuntur, & per qvod absolute sunt id qvod sunt; multo magis veri simile est eam per illud fieri in quo aliquam habet relationem, aliquam similitudinem, aut in quo dependent à se invicem.

I 5

35. Et

35. Et ut appareat in qvo ista conformitas consistere possit, precor ut Lector consideret, non plura quam quatuor rerum genera dari, quæ simul uniri possunt;

36. Aut enim substantia una unitur cum alia aliqua; aut substantia aliqua unitur cum attributo suo essentiali;

37. Aut hæc unio invenitur inter modum & substantiam, aut deindeque inter duos modos.

38. Sed puto etiam si res proprius inspiciatur, tria hæc posteriora unionis genera illud nomen non mereri, quia omnis unio duas res inter se distinctas dicit, qualis distinctio inter substantiam, attributum esse, & modum, quæ non sunt nisi una & eadem res, locum non magis invenit, quam inter modos aut attributa, quæ simul in eodem simplici subiecto inveniuntur,

39. Sed

39. Sed redeamus ad propositionem nostrum, atque videamus quomodo in genere substantia extensa atque ea quæ cogitat, fœdus simul inire possunt.

40. Hic iterum observandum est, nos non nisi dum generum substantiarum ideam habere, corporis nimurum & mentis, & propterea non plures quam tres diversos unionis modos posse conceperemus.

41. Aut enim ea erit inter duæ corpora, aut inter duas mentes, aut inter corpus & Mentem.

42. Et puto nos hunc posteriorem unionis modum melius concepturos esse, si eum cum duabus prioribus comparemus, quam si eum omnino solum consideremus.

43. Quapropter notandum esse videtur, omnis generis unionem dicere certam aliquam relationem,

I 6

fimi-

similitudinem & dependentiam, cujus ratione consideramus duo tanquam unum compositum fieri aliquo modo.

44. Nunc autem res aliqua potest relationem cum alia habere, aut per sua attributa essentialia & absoluta, aut per attributa sua relativae;

45. Jam manifestum est similitudinem, quæ inter duas res est secundum sua attributa essentialia non esse relationem, quæ eas uniat:

46. Nam quamvis omnia corpora in eo sint similia, quod sunt extensa, figurata, & mobilia, non tamen propterea sunt omnia unita.

47. Oportet ergo unionem, in omnibus quæ uniuntur, quæcunque in attributis relativis aut respectivis;

48. Non autem alia invenio,

per

per quæ duo corpora, duæ mentes, aut corpus & mens inter se possint habere relationem, similitudinem & dependentiam, quam primo & in genere actionem & passionem, quæ in omnis generis rebus & unionibus locum habent, quia ex omnibus attributis respectivis nulla sunt, nisi hæc, quæ extra suum subjectum sic abeunt ut aliud possint afficere.

49. Præterea invenio *conjunctionem localem*, pro vinculo quod inter corpora locum habet, quæ ea reddit capacia agendi & patiendi dependenter à se mutuo.

50. *Amorem* pro vinculo duarum mentium;

51. Et postremo *voluntatem* pro unione, quæ inter mentem est & corpus, quatenus hæc voluntas extra suum subjectum procedit per suas operationes.

52. Neque puto quemquam alia

I 7

posse

posse invenire attributa, quam hæc  
qvæ duas substantias simul unire  
possint.

53. Quemadmodum autem duo  
corpora sunt unita, qvando tam  
propinquæ sunt, ut possint agere  
& pati dependenter à se mutuo, si-  
ve agant & patientur eodem tem-  
pore, eodemqve modo, sive alte-  
runi patiatur qvando agit alte-  
rum;

54. Et quemadmodum duæ  
Mentes perfectissime sunt unitæ,  
qvando ita invicem amant, ut  
neutra velle possit neqve cogitare  
qvicqvam nisi in gratiam alte-  
rius:

55. Sic etiam dicere debemus  
corpus mentemq; unita esse, qvan-  
do aliqui motus illius fiunt depen-  
denter à cognitionibus hujus, &  
reciproce qvædam cognitiones  
hujus dependenter à motibus illi-  
us, sive causa istius dependentia  
veni-

veniat ab ipsa voluntate, sive ab  
alia potentia, qvæ ipsa superior  
est.

56. Et quemadmodum corpora  
non nisi per hanc coniunctionem  
localem, & dependentiam sociari  
concipimus, mentesqve non uni-  
ri, nisi reciproco amore, quo se in-  
vicem prosequuntur;

57. Sic etiam nihil clare & di-  
stincte concipere possumus, qvod  
mentem cum corpore unire, cogi-  
tationesqve unius motibus alterius  
connectere atqve ab eo depen-  
dentes facere valeat, præter ipsam  
ejus voluntatem, aut aliquam ali-  
am eâ superiorem.

58. Et plane quemadmodum  
corpora, qvæ sunt unita, & qvæ a-  
gunt patienturq; dependenter à se  
mutuo, non desinunt propriam su-  
am naturam retinere, cujus ratio-  
ne capacia sunt independenter à se  
mu-

mutuo agendi patiendi qve, qvando erunt separata;

59. Sic etiam Corpus & Mens, qvæ sunt unita, non desinunt servare essentiam suam peculiarem, & capacia esse agendi patiendi qve independenter à se mutuo, qvamvis durante unione aliquæ sint cogitationes istius mentis, aliquique motus istius corporis, qvæ ita à se invicem dependent, ut absolute sit impossibile unum sine alio, & vice versa fieri posse, atqve ita ea unio tam sit arcta, qvam ipsorum natura possit permittere.

60. Denique quemadmodum unio duarum mentium durabit cum ipsarum amore, duorumqve corporum unio non cessabit, nisi qvando desinent esse conjuncta;

61. Sic etiam mentis & corporis fœdus non rumpetur, nisi qvando ille qvi ea univit, id est, qvi motus unius dependentes fecit à cogitatione.

tionibus alterius, voluntatem mutant, aut qvando corpus non amplius erit capax producendi motus, qvibus mentis cogitationes necuntur.

62. Dicimus ergo generatim, loquendo, unionem Mentis & corporis consistere in mutua & reciproca dependentia cogitationum unius à motibus alterius, & vice versa, & in mutuo commercio actionum passionumq; suarum; sive ipsa voluntas Mentis, qvæ unitæ est, sive causa ejus dependentia, sive alius quispiam.

63. Qvod autem hanc unionem mentis cum Corpore humano tam admirabilem reddit, est qvod Primum sit reciproca, i. e. qvod non tantum corpus, diversas in mente cogitationes excitare potest; verum etiam mens diversorum in corpore motuum potest esse causa.

64. Secundò, qvod sit Universalis, qvia

quia mens seu anima humana re-vera toti corpori juncta est,

65. Et dici proprie non potest, eam esse in una aliquaque ejus parte, exclusis reliquis, quoniam corpus unum est, & quodammodo indivisibile ratione dispositionis suorum organorum, quae eo modo ad se invicem referuntur, ut si quando unum eorum est ablatum, totum corpus reddatur mutilum.

66. Et quoniam Mens talis est naturae, ut nullam similitudinem habeat cum materia dimensionibus, unio, quae inter eam & corpus intercedit, praecipue respicit organorum ejus coagmentationem.

67. Verum Tertio, haec unio est etiam particularis, quia non omnes mentis cogitationes dependent a motibus corporis, quod diligentemente notandum contra eos qui statuunt, nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit insensu, neque omnes motus cor-

corporis dependent a cogitationibus mentis NB.

68. Nam quemadmodum corpus, naturales suas ac vitales habet functiones, in quas mens sive anima nullam habet potestatem, nisi indiretè: Sic mens suas etiam habet cogitationes intellectuales, & quae sequuntur eas voluntatis inclinationes, quae non dependent a corpore nisi etiam indiretè.

69. Quartù unio haec est immediata: quemadmodum non nisi proprii motus corporis nostri ab anima sentiuntur ac percipiuntur; sic etiam anima ex sua parte non nisi propriis suis voluntatibus utitur ad incitandum & movendum corpus.

70. Est etiam præterea immediata, quoniam corporis motus momento temporis sensum sui animam ferunt, animaque corpus mo-

movet simul ac de iis voluntatem formavit.

71. Qvare unio animæ ac corporis differt ab ea unione, qvam mens habere potest cum suis objectis:

72. Nam si per vocem objectorum intelligas ideas qvas mens percipit, ea proprie non est unio, qvoniam idea & Mens non sunt duæ res, & si intelligas causas exemplares istarum idearum, unio qvam ea cum mente habere possunt, non potest esse mutua, cum nostra voluntas s̄pissime in illas nullam habeat potestatem.

73. Si autem per vocem objectorum intelligas corpora, qvæ nobis circumstant, qvæ in nostrum corpus agentia nobis occasionem dant diversas habendi cogitationes, manifestum est nexus, qvi inter ea & mentem nostram intercedit, non esse immediatum, eaque non

non nisi interveniente nostro corpore in mentem nostram agere.

74. Neqve tamen hæc unio æ qualiter in omnibus corporis nostri partibus immediata est, nam infra ostendemus, aliquam debere esse partem, cui mens multo particularius unita est, qvam ulli alii.

75. Quinto hæc unio est *constans*: atqve docet hoc nos experientia quotidiana, qvod, post qvam natura, aut casus, aut nostra voluntas aliquam ex nostris cogitationibus conjunxit cum qvibusdam motibus nostri corporis, qui peculiariter destinati sunt ad excitandas in anima cogitationes, idem ille motus nunquam redeat, qvin eadem cogitatio se de novo menti exhibeat.

76. Qvemadmodum etiam eadē cogitatio se menti postea exhibere nequit, qvin evestigio idem motus, cui ea est juncta, in corpore reproducatur.

ducatur, præcipue qvando natura  
eos motus cogitationesqve prima  
vice inter se conjunxit.

77. Ob qvam rationem objecta  
ejusdem speciei nobis dant easdem  
cogitationes, qvia idem genus  
motus in nervis nostris excitant;

78. Hancqve ob rationem est,  
qvod memoriæ vestigia nos obli-  
gant ad eandem rem denuo rec-  
gitandam, qvando spiritibus ani-  
malibus occasionem præbent, sub  
eadem forma ex glandula egredi-  
endi, qvam habebant, cum primum  
ea nobis exhiberetur.

79. Propterea etiam est qvando  
voluntas applicat imaginationem  
ad cogitandum de re aliqua, qvod  
idea, qvæ eam repræsentat menti  
offeratur simul ac species materia-  
lis, cui ea erat prima vice unita, su-  
per glandula reducitur.

80. Sic qvia prima vice, cum po-  
tationem aliquam medicam sume-  
remus,

remus, ingens nos ejus cepit fasti-  
dium, easqve tum cogitationes o-  
dii conjunximus cum specie, qvam  
medicina excitabat super glandu-  
la, postea neqve videre potionem,  
medicam sustinemus, neqve ali-  
quem de ea loquentem audire pos-  
sumus, qvin eadem aversio in-  
mente oriatur, cum spiritus anima-  
les eodem modo ex glandula egre-  
di incipient, qvo cum primo me-  
dicamentum acciperemus, egredi-  
ebantur, eandem adhuc amaritu-  
dinem videmur regustare.

81. Verum constans hæc unio,  
sua etiam aliquæ *inconstantia* labo-  
rat, observamus enim voluntatem  
nostram vim habere jungendi co-  
gitationes nostras aliis motibus,  
qvam qvibus primo junctæ fue-  
runt &c. Vide sis Joh. Claub.

82. Unicum adhuc restatexami-  
nandum ad omnimodam explicati-  
onem modi hujus unionis, nimi-  
rum,

rum, qvæ sit sedes principalis humanae Mentis, in qva suas functiones immediate exerceat.

83. Ut autem sciatur quis sit controversiæ status, monitum volo, me per sedem animæ principalem intelligere eam corporis humani partem, cuius motui cogitationes ita alligantur, ut impossibile sit unum sine altero reperiri posse.

84. Unde manifestum evadit aut unam, aut plures corporis humani partes esse debere, qvibus mens eum ad modum sit unita,

85. Qvoniam unio ejus cum corpore non consistit nisi in isto concursum, mutuaqve dependentia cogitationis unius & motus alterius.

86. Notandum tamen animam hoc modo toti corpori non esse unitam,

87. Et cum supra dixerimus mentem aut animam unitam esse toti

toti corpori immediate, id intelligendum tantum est, cum respectu ad unionem qvam habet cum nostro corpore, comparete cum ea, qvam aliquando corporis interventu habet cum aliis,

88. Observo præterea paralyses, apoplexias, meditationes profundas, & mille alios casus manifeste ostendere, non esse corpus ad producendam aliquam cogitationem aut sensationem in anima idoneum, si partes nostri corporis moveantur,

89. Imo etsi nostri nervi ipsi agitantur, nisi impressio illa usqve ad cerebrum deferatur;

90. Quemadmodum anima etiam nullum motum in membris producere valet, nisi spiritus animales ex cerebro descendere faciat.

91. Unde evidens evadit sedem animæ principalem, eamqve par-

K tem,

tem, cui arctius est unita, extra cerebrum esse non posse;

92. Oportet autem eam esse aut totum cerebrum, aut saltem aliquas ejus partes.

93. Totum Cerebrum id esse non potest, quia totum Cerebrum, aut saltem major ejus pars non est organum memoriarum, hoc est, non est locus, ubi vestigia motuum obiectorum externorum aut internorum recipiuntur.

94. Necesse ergo est animam aliquibus tantum cerebri partibus esse unitam.

95. Duo autem sunt, quae nobis clarior detegere possunt, quae sit pars, cui unita singulariter sit, prius à Corpore desumitur, alterum à mente.

96. Qvod à corpore desumitur consistit in eo, qvod necesse sit, quamcunque demum ad partem motus, quem objectum per suam actionem

actionem nervo imprimit, deferatur, ut is tandem perveniat ad locum, unde spiritus animales constringere potest, ad descendendum in musculos, qui membra movere debent eum ad modum, ut conservent moveri post talem actionem, quando ea movemus absque ullo movendi proposito.

97. Oportet ergo motum istum deferri per nervos usque ad fontem spirituum, atque ejus ope clavidi aliquos poros, aliosque rursus aperiri, aut etiam ipsos spiritus aliquo pacto impelli, unde obligantur versus certos aliquos musculos potius descendere, quam versus alios.

98. Non magis etiam dubitari potest, quin sedes animarum sit in parte proxima isti organo, ut possit etiam membra nostra movere, quando velit, & cogitationem habere, quæ unita est isti motui,

qvem nervi ad eum locum deferrunt.

100. Qvod jam ex parte Mentis proficiscitur, est, qvod necessarium sit eam partem esse simplicem, & unicam;

100. Cum enim omnia sensuum organa sint duplia, ratio reddi nequit, cur anima duo objecta non percipiat loco unius, qvando contingit objectum aliquod eodem tempore impressione in facere in duo ejusdem sensus organa, nilduæ istæ impressiones deferantur usqve ad certam aliquam partem simplicem & unicam, qvæ eas simul unit.

101. Præterea necesse est eam esse mobilem, ut anima eam immedia te movens etiam spiritus animales impellere possit versus certos alios quos musculos potius quam versus alios.

102. Concludamus ergo sedem ani-

animæ principalem esse debere, partem aliquam simplicem unicam, & mobilem, & denique, quantum fieri potest, proximam fonti spirituum animalium.

103. Fontem autem spirituum animalium esse ventriculos cerebri circa parvam aliquam glandulam, conarion appellatam unanimiter fere a medicis creditur. Vide Dottrinum & experientissimum Anatomicum Willis in Anatomia sua cerebri,

104. Qvia circum illam maximapars arteriarum plexus choroidis spargitur, atque in illa sanguinis pars maxime subtilis, qvem effundunt istæ arteriæ, incipit in transitu per ejus poros accipere formam spiritus animalis.

105. Qui ulterius cupiunt ostendi, glandulam eam esse sedem animæ principalem, & qvomodo ea actionem objecti uniat, & quo pa-

Et si fibræ omnium nervorum in eam agere possit, legant Tractatum des Cartes de Homine cum notis Forge, ubi in hisce instruerunt.

## CAPUT XI.

De Functionibus  
quæ ex unione Mentis cum corpore resultant.

1.

**P**ostquam hactenus de natura Mentis & Corporis erumque functionibus in ipsis, atque de modo, quo Mens humana cum corpore est unita, locuti sumus, veniendum jam est ad considerationem functionum quæ sunt mentis, quatenus cum corpore est unita.

2. Et licet minus hæ Logicæ sint con-

## LOGICÆ CARTESIANÆ. 2

considerationis, si maxime hodiernum qvorundam Logicam tractandi modum species,

3. Nihilominus nos ad facilius detegendam errorum causam, & invenienda Media eas evitandi, non multum solliciti de aliorum præmaturis judiciis, quantum quidem rei necessitas exigit, paucis sequentia adjicere non dubitabimus.

4. Principio tenebimus omnes functiones nostræ mentis quatenus corpori est unita, ad duo capita reduci posse:

5. Aliæ sunt ejus perceptiones, aliæ motiones voluntatis.

6. Primo loquemur de omnibus divisis modis, quibus Mens, quamdiu est in corpore, in percipienda aliquæ re utitur, nam necesse est Mensem percipere, priusquam se determinet.

7. Diversitatem nostrarum per-

K 4 ceptio-

ceptionum examinemus secundum diversitatem causarum, quæ mentem obligant ad rem aliquam percipiendam, & duas earum species deprehendemus.

8. Aliæ enim dependent præcipue à voluntate, ut quando mens percipit proprias suas actiones, impossibile enim est velle rem aliquam, si non percipiamus nos habere eam voluntatem, quamvis vel unum momentum post non amplius recordemur nos voluisse.

9. Et cum aliquando dicimus, nescire nos quid velimus, id nihil aliud significat, quam mentem esse ancipitem, & adhuc nescire, quid velle debeat.

10. Secunda species perceptiōnum nostratum est earum, quæ excitantur præcipue per corpus sine consensi voluntatis, sæpe etiam ea repugnante, quemadmodum pri-

mo sunt omnes perceptiones sensuum,

suum, & secundo omnia nostra deliria, nostra somnia & in genere omnes nostræ imaginations, quæ voluntarie non excitamus.

11. Ut omnes hasce species perceptionum ordine explicemus, primò dicendum erit, quæ sit natura sensuum nostrorum, qvitanti à Clariss. Viro æstimantur, ut eos pro Criterio veritatis constituere nondubitaverit.

12. Sensus vocabulum sumi potest tribus modis, aut pro motu simplici, jvem objectum nervis imprimit;

13. Aut pro perceptione, quæ alligata est isti motui, quando impressio ea defertur usque ad sedem animæ;

14. Aut pro judicio, quod eam, perceptionem sequitur.

15. Tres isti sensuum gradus, tam prope se invicem sequuntur, ut maxima pars hominum eos non

K 5 distin-

distingvat, cum tamen sint maxime diversi.

16. Bestiæ enim non nisi *primi gradus capaces* sunt, & nihil in ipsis videmus quod nobis persuadere possit eas sentire, si verbum illud pro alia re sumatur, quam pro impressione objecti in organum sensuum.

17. Certi etiam sumus eam impressionem deferri per fibras nervorum usque ad glandulam; quia ea impressio est, qua glandula affectur, quæ causa est omnium motuum quos objecta in singulis bestiis excitant secundum suam species, & dispositionem, quæ pro eo tempore in corpore bestiæ repetitur.

18. *Primus & secundus gradus* nunquam in hominibus sunt separati, quando ea impressio usq; ad glandulam defertur.

19. *Secundus autem & tertius* non sem-

semper simul inveniuntur, præser-  
tim in sapientioribus, qui, cum ob-  
servaverint sensus sapientis se fallere,  
non tam cito solent de rebus o-  
mnibus, quas sensus eos percipere  
faciunt, judicium suum ferre.

20. *Primus gradus* est res pure corporea, quapropter nihil de eo nunc dicam, neque etiam de modo, quo objecta externa nervos movent, id enim non est hujus loci, si quis tamen eorum explicatio-  
nem querat, adeat Tractatum des Cartes de Homine, idem Borellum de Motu Animalium, ubi prolixe omnia sunt pertractata. Neque de tertio gradu loquar, id est, de judicio, quod perceptionem sensuum sequitur, sed me solum detinebo in explicacione secundi gra-  
dus, qui est ea perceptio, quæ semper agitationem fibrarum nervorum comitatur, quando usq; ad glandulam defertur.

21. Notabis ergo primo, sentire in hac significatione nihil aliud esse, quam habere perceptionem confusam, quæ alligata est unicuique agitationi, quæ fibræ nervorum concutiuntur, quæcunq; deum possit esse causa, quæ eos agitat.

22. Atque ita modum percipiendi in mente, qui omnibus sensibus in genere proprius est, constare in ea confusione, quæ inveniatur in perceptione, & in eo, quod ea excitari debet per actionem aliquam objecti externi.

23. Nam quamvis in somniis, & deliriis multæ res sentiri credantur, & ea haud aliter nobis apparent, quam si eas sentiremus, quando tamen nullum objectum externum sensus nostros tangit, non id sentire solemus appellare, verum pro iudicatione imaginationis accipitur.

24.Ut

24. Ut autem bene concipiatur, qualis sit ea confusio, quæ in perceptione sensus invenitur, notandum est, dici posse cognitionem sensuum, pro diverso considerando, esse simul admodum claram, & simul admodum confusam.

25. Ex una enim parte sensus clare monstrant, rem aliquam in corpus nostrum agere: iidem etiam docent nos, an res, quæ corpus nostrum tangit, noxia sit, an utilis, idque tanta cum certitudine, ut admodum raro contingat nos in eo falliri.

26. Ex altera parte autem, si res aliter consideretur, constat, cognitionem sensuum esse valde confusam, eosque, qui non alios quam sensus habent duces in sua Philosophia, obnoxios esse erroribus, & magnos paralogismos committere.

K 7

27.Ea

27. Ea confusio in quadruplici est differentia.

28. Prima oritur ex modo, quo sensus nobis representant qualitates, quas ipsorum ope percepimus, & quas nos tantum in membris nostris percipere faciunt,

29. Aut etiam in objectis, quae nos tangunt, quamvis cogitatio, per quam anima eas sentit, tantum alligata sit forma cursus spirituum, ubi a glandula egrediuntur, quae excitatur per actionem objecti eorum.

30. Secunda consistit in eo, quod nobis non representent ipsam actionem objecti, aut talem, qualis in seipsa est, aut talem, qualis ea communicatur organo sensus, aut talem denique, qualis ad glandulam defertur :

31. Sed earum loco in nobis excitant ideas, quae nullum cum iis omnibus commercium habent.

32. Tertiis

32. Tertium consistit in eo, quod inter ideas, quae eorum occasione nobis obveniunt, illæ ipsæ, quae maxime sunt claræ & evidentissimæ, nunquam fere nobis representantur eo præcise modo, quo in objecto reperiuntur.

33. Quartum est, quod ideæ, quas habemus ex occasione particularium objectorum sensuum, ut lumenis, colorum, sonorum, &c.

34. Quasque habemus ex occasione omnium sensationum, quae famem, sitim &c. comitantur, adeo sunt obscuræ & confusæ, ut nemo dicere possit, quid in objecto sit, quod unaquæque earum representat peculiariter.

35. Sed objiciat mihi hic aliquis, quoniam nos credimus ideas, aut melius species corporeas plerumque non esse similes objectis, quae eas excitant; neque ideis, quas ex ipsarum occasione habemus,

36. Ne-

36. Neq̄ similitudinem, qvam aliquæ earum habent cum linearimentis objectorum, nobis dare cogitationem eorum, præter rem, & sine ratione alias distinctiores aliis, alias rursus aliis confusiores statui.

37. Resp. Nos eas species distinctas, aut confusas non appellare per relationem ad majorem, aut minorem similitudinem, qvam forte cum objecto, qvod eas excitat, habent,

38. Verum respectu distinctioris, aut confusionis, qvæ in ideis, qvas in mente producunt, inveniuntur;

39. Et qvamvis id ita non foret, nihilominus dici posset, inter eas species, illas esse magis distinctas, qvæ magis accedunt ad formam cursus spirituum, cui natura cogitationem claram & evidentem certiusdam objecti junxit.

40. Alias;

40. Alias rursus tanto esse confusiores, qvanto magis ab ea forma recedunt.

41. Experientia enim quotidiana ostendit sub certis qvibusdam casibus, ac circumstantiis melius nos eadem objecta percipere, qvam sub aliis;

42. Qvod ita non foret, nisi species, qvas excitant, aliquando essent minus magis ve distinctæ.

### CONSECTARIA.

1. Adeo clarè & sufficienter detinximus in superioribus, sensum nostrorum originem & naturam, ut vix, opus foret qvicqvam amplius iis adjicere,

2. Maximè cum facile attentus lector ex iis colligere possit, qvid de eorum sententia sit statendum, qui putant, per exteriora sensuum organa, cognitiones de rebus ad nos venire, sive qvod omnis

no-

nostra cognitio originaliter, (ita enim plerumq; loqui amant) à sensibus hauriatur.

3. Item, qvod ipsi soli sint, qui objectum cognoscendum intellec-tui proponant, neq; res aliter, qvam per sensus mentem nostram ingrediantur.

4. Unde sensus externi aliis dicuntur *fenestra animæ*, per qvas & foras prospectat, & lumen suum accipit.

5. Aliis dicuntur animæ *satellites* & *nuncii*, qvibus omnia qvæ foris geruntur cognoscit.

6. Imo in Scholis omnium pro-pe ore teritur axioma: *Nihil est in intellectu, qvod non prius fuerit in sensu.*

7. Ex qvorum numero est etiam Vir Doctissimus, qui Cap. VII. statim in principio asserit, *primum criterium veritatis esse sensum, cogita-*  
*tio-*

*tionesque omnes fieri de rebus organa sensum ferientibus.*

8. Ego certe non raro sum miratus, non solum à rudioribus, sed etiam ex eruditorum numero, tota corporis adscribi sensibus.

9. Nam sic mecum ratiocinabar: Si omnis cognitio petitur à sensibus, si semper portæ sunt & fenestra, per qvas ingrediuntur ideæ mentem illustrantes, mirum est, qvod non sint sapientissimi, qui sensus perpetuo seqvuntur duces.

10. Imò mirum, qvod intellectu & sapientia omni carentia animantia, facultate sentiendi hominem, superent secundum versus vulga-tos:

Nos aper auditu, nos vincit a-ranea tactu,  
Vultur odoratu, lynx visu, simia gustu.

ii. Mirum inq;am, qvad qui maxi-

maximè intellectu & scientia pol-  
lent, ut Deus & Angeli, omni sen-  
su corporeo destituantur.

12. Mirum, qvòd qvæ clarissimè  
sentimus, exempli gratia, lucem, &  
colorem, obscurissimè tamen intel-  
ligamus.

13. Mirum denique, qvòd qvæ  
nullo modo sentimus, optimè ta-  
men & facillimè intelligamus, uti  
cogitationes qvisq; suas, qvas ha-  
bet in animo, dum affirmat, negat,  
vult, non vult, licet nullis interim  
verbis externis utatur, neq; audiat,  
aut legat qvicqvam.

14. Qvanto melius hac de re  
sensit Marsil. Ficinus argum. in  
Hippiam majorem: *Sophista*, in-  
qvit, *sensu opinio neque inedit*, pñlo-  
*sophus ratione potius & Mente*.

15. Socrates apud Platon. in Phæ-  
don. *Cognoscunt viri scientiae cupidi*,  
*quemadmodum philosophia eorum ani-*  
*mam ita constitutam suscipiens, paula-*

tim

tim instruit solvereque aggreditur,  
offendens qvàm fallax oculorum, qvam  
fallax aurium, ceterorumq; sensuum sit  
judicium, svaldens ab his discedere, qva-  
tenus hñrere illis summa non cogat ne-  
cessitas, seque in seipsum revocare atq;  
colligere, nec unq; am credere præter-  
qvam sibi.

16. Plato dialog. 5. de repub.  
Homines oculis & auribus dediti, pul-  
chris vocibus & coloribus, figuris & o-  
mnibus qvæ ex talibus constat, admo-  
dum delectantur, ipsius autem pulchri  
naturam cogitatio eorum non potest  
attingere.

17. Dicam qvod res est; Sensus  
per se non sunt nobis dati ad co-  
gnoscendam veritatem, seu ad im-  
mediate cognoscendum, qvænam  
sit rerum extra nos positarum na-  
tura;

18. Sed propriè tantùm ad signi-  
ficandum homini, qvatenus com-  
positus est ex mente & corpore,  
qvæ

qvæ ei commoda, qvæ incommoda sint

19. Triplicia qvippe sunt Hominis attributa, ut jam supra ad nauseam usqve inculcavimus, alia ratione solius mentis ei competent, ut intellectus, judicium, &c.

20. Alia ratione solius corporis, ut magnitudo & figura &c.

21. Alia ratione mentis & corporis simul, ut sensus, fames, sitis, &c.

22. Jam uti ea qvæ ratione solius corporis homini sunt attributa, etiam ad solum corpus referenda; ut ea qvæ ratione solius mentis ei attributa, ad solam mentem:

23. Ita qvæ ratione corporis & animæ simul ei attributa sunt, illa non nisi ad compositum ipsum, qva tale referenda. Qvod eum de fame, & siti, & talibus facile quis dederit, cur non dabit de sensibus?

24. Ve-

24. Veritatis cognitio ad solam mentem spectat, non ad compositi conservationem.

25. Unde ordinem naturæ invertimus, qvando sensus ad dignoscenda ea qvæ dictæ compositioni conservandæ commoda sunt aut incommoda nobis datos, convertimus ad ipsius veritatis cognitionem.

26. Exempli gratia, qvando ex eo qvod corpori bonum aut malum quid est, absolutè & in ordine ad rei veritatem judicamus esse bonum aut malum:

27. Item, qvando ex eo qvod plus minusve corpus afficit, etiam in se majus minusve, perfectius aut imperfectius esse censemus.

28. Natura enim qvæ mihi ut composito competit, non docet me, talem esse rerum naturam qvalis est perceptio sensus circa eam, qvia ad compositi perfectionem non

non reqviritur, seu non necessaria est exacta ac accurata rerum cognitio.

29. Nam sine ea compositum sat esse potest perfectum, imo propter eam cognitionem compositum ut tale non est perfectius, nisi quatenus per eam cognoscitur ejus commodum vel incommodum.

30. Præterea sensus ne qvidem circa propria sua objecta, qualia statuuntur esse sensibiles qualitates, rerum naturam nos edocentes, multo minus id faciunt circa alia, nam nihil quicquam de earum qualitatum natura nisi obscurè & confusè repræsentant, & quid sit gratum aut ingratum composto.

31. Item, qvoniam angeli absq; sensu res possunt cognoscere, & qvidem clarius & distinctius quam nos; apparet sensus non esse necessarios ad rerum cognitionem;

32. Imo

32. Imo certum est, sensus mentem potius impedire in clara & distincta veritatis perceptione.

33. Patet hoc per inductionem eorum, qvæ clare percipiuntur in particulari de rebus materialibus,

34. 1. Figuræ nullæ circa nos ita sunt perfectæ, ut inde ideam claram conseqvamur.

35. 2. Magnitudo cognoscitur per mentem, non per sensus, quatenus corporis hujus magnitudo comparatur à mente cum alia magnitudine nota, & qvam constituit mens, ut mensura aliarum.

36. 3. Circa cognitionem situs etiam opus est operatione mentis; quod etiam de motu est statuendum vide Dioptric. Cap. VI. art. 9. usque ad sextum decimum.

37. Non tamen negandum est, sensus nos docere, qvod res sint five existentiam corporum; sed hoc so-

L

lum

lum, qvod doceant quid sint sive es-  
sentiam & intimam naturam re-  
rum, qvia hoc non requiritur ad  
conservationem compositi.

38. Qvod iterum non sic intelli-  
gendum est, qvsi negaremus co-  
gnitionem veritatis corpori pro-  
desse; sed tantum modo dicimus,  
non ad corporis commodum re-  
qviri, cum citra eam, commodum  
vel incommodum corporis queat  
cognosci.

39. Non etiam negamus, qvod  
ea, qvæ sensus docent, possint in-  
servire ex accidenti cognitioni na-  
turæ rerum.

40. Ipse enim Philosophus no-  
ster agnovit initio Dioptric. sensus  
utilitatem, inqviens: *Totius vita  
nostræ* (qvæ nempe in corporis &  
animæ conjunctione posita est)  
regimen à sensibus pendet. Et ulteri-  
us ibidem dicit, qvod admiranda il-  
la specilla vim nobis aperuerunt ad ma-

jorem

jorem & magis absolutam nature co-  
gnitionem.

41. Non qvod immediate hoc  
præstent oculi, multo minus spe-  
cilla, sed qvod promota visus no-  
stri acies occasionem & materiam  
philosophandi nobis subministret,  
qvatenus *το ὄτι* suppeditat animo  
*τὸ δότι* inqvirenti. Sic passim Car-  
tesius experimenta necessaria esse  
docet ad absolvendam Physicam.

42. Illud etiam, qvod sensus  
nobis non exhibeant, qualia exi-  
stant corpora naturalia in seipsis,  
Philosophus Princip. II. art. 3. ita li-  
mitat. *nisi interdum ex accidenti*.

43. Voluit igitur distingvere  
finem & usum sensuum ordinari-  
um, ab eo qvi rarus & extraordina-  
rius est & pér accidens tantum iis  
convenit, ut doceant quid revera-  
sit in rebus, seu qvæ sit absoluta &  
intima natura corporum, qvod  
quidem non observantur ab iis, qui

L 2

sen-

sensus iis elogiis ornant, qvæ supra recensuimus.

44. Qvæ Vir Doctissimus Cap. VI. §. 16. 17. 19. habet Cartesium neutram feriunt cuius mentem nulli fuit minus assequutus quam hic, sed me certe vanas illas rationationes referre pudet pigetq;

45. Conferat modo hæc & similia in illa Introduktione occurrētia æquus lector, cum iis qvæ in superioribus tam clare proposuimus, nullo negotio agnoscat, cuius à parte stet verior & accurior Methodus Philosophandi.

## CAPUT XII.

**D e M o d o q v o p e r-**  
ceptiones intellectus nostri &  
determinationes voluntatis nostræ, regere de-  
beamus

I. Huc

I.

**H**uc usqve explicare conati sumus naturam mentis humanae, primo in seipsa, in quantum est res cogitans, deinde secundum relationem ad corpus, in quantum ei est unita;

2. Conatus sum etiam explicare, in qvo ea unio consistat, & qvæ sint mentis operationes, qvæ ex hac unione suam originem habent.

3. Jam hoc agendum super est, ut detegere possimus, qvomodo perceptiones intellectus nostri & determinationes voluntatis nostræ, quam diu vivimus regere debeamus, ut quantum fieri possit in hoc mundo felicissimi evadamus.

4. Nam inter omnia bona non nisi ea sola sunt qvæ nos felices reddere possunt, qvæ per nos ipsos possidere sine auxilio aliarum creaturarum possumus.

L 3

5. Ali-

5. Alias fateor, qvando sumum bonum in seipso sine relatione ad aliud consideratur, unice Deum Opt. Max. esse summum bonum, atqve hoc respectu nostram qvoqve felicitatem in unione cum hoc sammo bono consistere.

6. Cum autem consideratur cum relatione ad unumqve nostrum, tum non video aliud esse posse, qvam illud qvod per nos ipsos possidemus sine auxilio aliarum creaturarum.

7. Qvare & bona fortuna, qvæ absolute à nobis non pendent, sanitas corporis, & cognitio mentis, qvæ sèpissime extra hominis potestatem sunt, aestimari non possunt, pro maximo omnium bonorum, qvorum homo capax.

8. Nihil ergo super est nisi nostra voluntas, qvæ absolutè nostra est, cuius rectus usus cum omnino à nobis dependeat, maximum esse

esse bonum debet, qvod possidere possumus, & solum qvod nos vera satisfactione afficere, & felicitatem nostram naturalem efficere potest.

9. Verum qvidem est, voluptates sensuum omnibus fere hominibus apparere majores voluptatibus Mentis; sed erroris hoc est, à qvo facile liberabimur, si assvescamus examinare justum omnium honorum pretium, qvorum acquisitione ex nostro agendi modo dependere potest, ut exacte sciamus, quantum unaqvæqve res ad animi nostri tranquillitatem tribuere possit.

10. Hoc facientes videbimus voluptates sensuum confuse nostræ imaginationi se exhibentes plerumqve multo majores apparere, qvam reverasunt, præcipue ante qvam eas possideamus, iisqve fruamur.

11. Nam ubi multum satis desudavimus in iis acquirendis, fru<sup>80</sup>rio ipsa earum defectus nobis ostendens docet non magri esse aestimandas, cavendumque esse ne à specie ea, & vano fulgore, quibus circumdantur, decipiamur.

12. Nonne majorem latitudinem causam habemus, cum anima nostra satis virium habuit ad irae impetum, aut amoris blanditias sustinendum, quam ubi per ignoriam vindictæ cupiditatem explevimus, aut libidini indulsimus?

13. Quantum ad bona fortunæ attinet, ea nos veris voluptatibus afficere non possunt, nisi forte ea tanquam virtutis nostræ præmia spectemus.

14. Verum etiam si vel ejus præmia forent, non tamen nos propterea beatos reddere possent, quoniam eorum domini absolute non esse.

essemus, eaque nobis auferri possent.

15. Plenitudo autem nostræ a<sup>et</sup>ut<sup>80</sup> rapue<sup>as</sup> aut felicitatis non tantum dependet à magnitudine boni, quod per nos ipsos possidemus, verum etiam à certitudine istius possessionis.

16. Quare omnia bona corporis, & fortunæ comparanda non sunt cum recto usu liberi nostri arbitrii, cum nullum inter ea sit nostre respectu adeo magnum, quam reetus ejus usus, neque ullum de cuius possessione adeo certi esse possumus.

17. Sed objiciat aliquis, satis non esse, si dicamus maximum, bonum nostrum in hac vita consistere in recto usu liberi nostri arbitrii, nisi etiam adjungamus in quo rectus unus ejus consistat.

18. Resp. Me non videre, nos eo melius uti posse, quam si semper

firmum, & constans animi habeamus propositum faciendi exakte omne id, qvod optimum judicabimus, & omnes mentis nostræ vires ad id bene cognoscendum impendendi.

19. Cum enim omnes mentis nostræ facultates ad duas has referantur, ad facultatem scilicet percipiendi id, qvod est verum, & bonum, & id à falso, & malo distinguendi;

20. Et ad facultatem nos determinandi, id est, dandi nostrum suffragium, & consensum ei, qvod verum aut bonum esse, cognoscimus;

21. Existimo contentos nos esse debere, quantum ad primam attinet, ubi omnem quam possumus, curam adhibuimus ad cognoscendum, id, qvod est optimum:

22. Et qvod ad secundam attinet, contentos esse debere, qvando no-

stra

stra electio exakte secuta est nostram cognitionem, qvoniam non alium ducem in hac naturali vita habemus.

23. Qvamvis autem in multis falli possimus, & qvod securi sumus, possit esse malum, nihilominus certi sumus nos officio nostro satisfecisse, & tunc omnino contenti esse debemus.

24. Hæc felicitas naturalis duos habet inimicos principales, primus est ignorantia, qvando negligimus ea discere, qvæ scire debemus, & possumus, in quantum homines sumus.

25. Ea ignorantia non tantum culpanda est, verum ipsissima est mater omnium vitiorum; qvem admodum enim virtus in genere considerata nihil est aliud, quam firmum illud propositum, & animi vigor, quo serimus ad faciendum id, qvod judicamus esse bonum,

L 6

post-

postquam certi sumus tantum nos id examinasse, quantum moraliter capaces sumus;

26. Et quamvis id, quod facimus, possit esse materialiter malum, sumus tamen nos officium nostrum facere, & actum virtutis producere, quando omnem diligentiam, possibilem adhibuimus ad id bene cognoscendum.

27. Nam, cum anima nostra finita sit, omnia scire non tenetur.

28. Sic è diverso cadimus in vitium, quam primum ea firmitas degenerat in pertinaciam, aut mollietatem ex eo, quod de nobis ipsis instruendis, parum sumus solliciti.

29. Et illi, qui aliquid agunt, nesciūrum bonum sit, an malum, & qui id inquirere negligunt, haberi non debent pro hominibus virtute praeditis, etiam si actus materialiter virtuosos producerent.

30. Non

30. Non tamen omnis generis ignorantia vitiosa est; meremur tantum id nomen, quando virtutes eas, quæ necessaria sunt ad actiones nostras in eo vitæ genere, quod profitemur, dirigendas, discere negligimus.

31. Alter nostræ felicitatis naturalis inimicus & quasi scopulus est corpus, cui mens est juncta, sive quia ejus morbi rationis usum ipsi auferre possunt, ipsaque impedire nequit, quo minus ejus infirmitibus afficiatur, quia unum totum cum eo constituit, sive quia sentimus passiones nostras sapissime nos incitare ad id faciendum, cui ratio se opponit.

32. Qvare si beati esse volumus, vinculum, quod inter mentem & corpus est, nos obligat ut partem curarum nostrarum demus conservationi sanitatis nostræ, & præ-

servationi corporis nostri à morbis.

33. Nam alias per ejus infirmitates, qvæ nobis usum rationis auferre possunt, felicitas nostra turbaretur.

34. Multo tamen major labor sumendus est in superanda nostra ignorantia, & vincendis passionibus nostris, qvam in evitandis morbis.

35. Morbi enim, si eos patienter feramus, sèpissime nobis materiam potius Virtutis præbent, qvam felicitati nostræ obsunt, atqve ita mentis nostræ autem magis agent, qvam minuunt.

36. Cum contra passiones, qvando immoderatae sunt, & ignorantia qvæ vitiosa est, omnino eam destruant.

37. Qvapropter non rectius facere poterimus, qvam si principalem

lem errorum nostrorum originem detegamus.

38. Et ad eos evitandos, nostramque ignorantiam superandam regulas qværamus, qvibus moderari passiones nostras possimus.

39. Ut hoc pacto intelligere possimus, qvomodo intellectum nostrum, nostramque voluntatem, ducere debeamus.

40. Extra omnem dubitationem autem est, nos nunquam errare, nisi quando judicamus de rebus, qvas non bene novimus;

41. Atqve sic principalem nostrorum originem errorum non oriri aliunde, nisi ex eo, qvod temere extendamus potentiam, qvam habemus, judicandi extra limites nostræ cognitionis.

42. Si enim eam intra illos limites præcise restringeremus, nullum esset errandi periculum.

43. Ut ergo bene judicemus, hoc est,

est, ut judicando non fallamur, diversæ regulæ observandæ, pro diversitate occasionum & rerum, in quibus judicium nostrum feren-dum est;

44. Aut enim res in se ipsis con-sideramus, ad earum veritatem, simpliciter cognoscendam, aut eas consideramus cum relatione ad praxin, & actiones vita no-stræ.

45. Si primo modo eas conside-remus, omnino judicium nostrum suspendendum est, quando eas non bene cognoscimus, id est, quando objectum, quod examina-mus, aliquva adhuc obscuritate & confusione est imbutum.

46. Si secundo modo eas spe-cete-mus, non necesse est tantam adhi-bere præcautionem, agendi enim, occasio sapienter præteriret, ante-quam plane dubiis nostris liberari possemus.

47. Sed

47. Sed ut res paulò magis de-claretur, considerabimus primo qvomodo rationem nostram du-cere debeamus, qvando veritatem tantum in seipsa qvarimus.

48. Deinde conclusionis loco videbimus etiam, qvam regulam, seqvi nos oporteat, ubi veritatem cognitam ad praxin volumus con-vertere.

### CAPUT XIII. De Regula prima Veritatis.

i.

**M**eo iudicio, qvicunqve res certius, qvam ex aliorum, relatu scire vult, & qui ab experientia edoctus non dubitat, sensus suos, & præjudicia infantia sapissime sibi occasionem errandi dedis-

dedisse, observare debet sequentes regulas, ne in errorem amplius incidat.

2. Est autem hæc prima Regula: Nimirum: *Nihil unquam, nempe in Philosophica veri investigatione, veluti verum admittendum, hoc est, judicandum, Philosophicè determinandum, nisi quod certo & evidenter verum esse cognoscatur, hoc est, quod non prius clare distincteque percipiatur ab intellectu, nempe ut consentiat cum perceptione judicium, nunquam ab ea dissentiat.*

3. Quæ regula optimam recte judicandi methodum prescribit: Ne tamen propter generalitatem suam, minus distincte intelligatur, in tria membra particulatim eam deducemus.

4. Quorum primum est, omnem in judicando præcipitantiam vitandam esse.

5. Se-

5. Secundum, *Omnem in judicando anticipationem vitandam,*

6. Tertium, *Nihil amplius esse judicandum aut concludendum, quam quod ratione pateat, sive quod menti attendenti præsens sit & apertum. De singulis videbimus.*

7. Primum & secundum, *Obstacula primæ mentis operationis, hoc est claræ & distinctæ perceptio- nis, amolienda esse monet, ne prius judicemus quam aliquid, ut regula exigit, percipiamus.*

8. Prius vero judicamus dupli- ter: vel si præsenti tempore præci- pitemus judicium,

9. Vel si ex anticipata opinione judicemus, quam olim per præci- tantiam admisisimus.

10. Et quia multis modis, variis que de causis contingit, ut judicia nostra præcipitemus, hoc est, ut præpropere, nimis celeriter, incon- siderate, ac temerè sententiam fe- ramus,

ramus, prius judicando, qvam re-  
cte perceperimus, eos breviter e-  
numerabimus.

ii. *Prima causa præcipitantia est,  
etas immatura.*

12. De qva Philosophus Princ. I.  
p.art.71. sic ait: *Mens nostra ab in-  
eunte ætate omnia tantum refe-  
rens ad utilitatem corporis, cui e-  
rat immersa, eo plus aut minus rei  
esse putabat in unoqvoqve objecto  
à qvo afficiebatur, prout plus aut  
minus ab ipso afficiebatur.*

13. Unde factum est, ut multo  
plus substantia seu corporeitatis  
esse putaret in saxis aut metallis,  
qvam in aqua vel aëre, qvia plus  
duritiei & ponderositatis in iis sen-  
tiebat.

14. Qvin & aerem, qvamdiu  
nullum in eo ventum, aut frigus,  
aut calorem experiebatur, pro ni-  
hilo prorsus ducebat.

15. Et qvia non plus luminis à  
stellis,

stellis, qvam ab exiguis flammis  
lucernarum ipsi affulgebat, idcirco  
nullas stellas flammis istis majores  
sibi repræsentabat.

16. Et qvia nec terram in gyrum  
verti, nec ejus superficiem in glo-  
bum curvatam esse notabat, ideo  
proclivior erat ad putandum, & im-  
mobilem eam, & sufficiem ejus  
planam esse, &c.

17. Item. Articulo 6o. inquit:  
*Cum vero putamus nos percipere colores  
in objectis, et si revera nesciamus quid-  
nam sit, quod tunc nomine coloris appel-  
lamus, nec ullam similitudinem intelli-  
gere possimus, inter colorem quem suppo-  
nimus esse in objectis, & illum quem ex-  
perimur esse in sensu, qvia tamen hoc  
ipsum non advertimus, & multa alia  
sunt, ut magnitudo, figura, numerus,  
qvæ clare percipimus, non aliter à nobis  
sentiri vel intelligi, qvam ut sunt, aut  
saltē esse possunt in objectis, facile in-  
cum errorem delabimur, ut judicemus,  
id*

*id quod in objectis vocamus colorem, esse  
quid omnino simile colori quem senti-  
mus, atque ita ut id, quod nullo modo  
percipimus, à nobis elare percipi arbitre-  
mur.*

18. *Atque hoc modo judicia nostra  
de sapore, odore, sono, calore, frigore,  
lumine, & similibus contingebat esse  
falsa. Hicque primam & præcipuam  
errorum nostrorum causam licet agno-  
scere.*

19. *Et quandoqvidem mens no-  
stra dicto modo omnia ad utilita-  
tem corporis referebat, & in xitate  
infantili organis corporeis male  
utebatur, iisdem tenacius affixa-  
erat, adeò ut nunquam se ab illis  
abduceret, & purò intellectu qvid  
cogitaret.*

20. *Unde semper cogitationi  
imaginationem admiscebatur, nec  
intellectum purum & imaginatio-  
nem, distinguebat à se invicem,  
sed pro uno eodemque habebat,*  
atque

*atque ita omnes ideas & notiones  
rerum intellectualium in mente,  
cum corporeis imaginibus con-  
fundebat, & permiscebatur; libet  
iterum verba Philosophi adjicere.*

21. *Cum mens, inquit, in Resp.  
Sext. num. 10. minus rectè organis cor-  
poreis uteretur, iisque firmius affixa, ni-  
bil absque illis cogitaret, restantum  
confusas advertebat.*

22. *Et quamvis propriæ natu-  
ræ sibi consciæ esset, nec minus apud se  
ideam cogitationis, quam extensionis ha-  
beret: quia tamen nihil intelligebat, quin  
simil alii quid imaginetur, utrumque  
pro uno & eodem sumebat, notionesque  
omnes, quas de rebus intellectualibus  
babebat, ad corpus referebat.*

23. *Secunda causa cur judicium  
nostrum præcipitemus est conve-  
tudo ab infantia adhærens, & longo  
tempore confirmata.*

24. *Hujus consuetudinis memi-  
nit Philosophus Meditatione sexta*

pag. 41. inqviens: *Multa vero alia sunt qvæ et si videar à natura doctus, non tamen revera ab ipsa, sed à consuetudine quadam inconsiderate judicandi accipi.*

25. Omnes enim præjudiciorum classes à consuetudine promanantes, de rebus corporeis ad duas referri possunt. 1. qvicquid non sentio, non est. 2. qvæcunque sentio, talia & tanta sunt, qvalia & qvanta sensibus offeruntur. Unde illud, *Nihil est in intellectu, qvod non prius fuerit in sensu.*

26. Hanc autem consuetudinem non alia qvam contraria consuetudine emendare possumus, lento nimirum & suspenso gradu incedentes, secundum illud Jurisconsultorum: *Nihil tam naturale est, qvam eodem genere, unumqvodque dis- solvere, qvo colligatum fuit.*

27. *Tertia causa est defatigatio in attendendo: de qva Philosophus*

Prin-

Principiorum parte I. art. 73, inquit: *Qvia Mens non sine aliqua difficultate ac defatigatione ad illas res attendit, ideo s̄aē judicat antequam id de quo judicat percepit,*

28. Delassata enim mens, meditando, res à sensibus & imaginacione se junctas, relabitur semper ad rerum sensibilium ideas, & per has adjudicia ex præconcepta opinione in antecessum lata.

29. Qvia in primis annis, ubi tantum circa sensus & imaginaciones occuparetur, majorem de ipsis, qvam de cæteris rebus cogitandi usum & facilitatem acquisivit,

30. Unde fit ut multi, nullam substantiam intelligent, nisi imaginabilem & corpoream, seu sensibilem.

31. Neqve enim nosse volunt ea sola esse imaginabilia, qvæ in extensione, motu & figurâ consistunt, et si alia multa intelligibilia sint:

M

32. In-

32. Intellectus autem, & imaginatio valde differunt qvoad modum percipiendi, licet non differant, qvoad modum, qvo unaqvaque earum facultatum ideas acquisivit, qvæ ipsi sint propriæ.

33. Hanc præcipitantia causam vincere possumus studiis Mathematicis, aut notis seu characteribus, qvibus usus etiam est Philosophus, qvare & in Physica figuræ oculis subjicit, non solum sui, verum etiam lectorum causa; sciens, qvod qvæ ad animam veniunt per sensus eam magis afficiunt, adeoque magis detinent, quam qvæ illi representantur à ratione, ut hoc fusissime deduxit Generosus atq Nobilissimus Author in sua nunquam satis deprædicanda Medicina Menti, Libro secundo pag. 184. 185. & seqq.

34. Quarta causa est, vehementius sciendi desiderium: Nam Omnes homines

mines ut Aristoteles initio metaphysicorum, inquit: *natura scire desiderant.*

35. Verum sicuti immoderata fame stimulatus omnia, qvæ offeruntur, nimis festinanter, sine ordine ac delectu ingerit; ita veritatis assequenda cupiditas persæpe efficit, ut qui non rectè sciunt, quæ ratione assequenda sit, de iis qvæ non rectè percipiunt, judicium ferant atque idcirco errent.

36. Hinc Philosophus Principiorum part I. art. 42. inquit: Alii non contenti claris & notis, clariora notiora ferè in infinitum qværunt, ut Mathematici quidam veteres & Scholastici Metaphysici.

37. Quarta causa est, impatientia dubitandi. Hoc vitium tangit Illustris Verulamius l. i. de augmēto scientiarum inqviens. pag. mīhi 122.

38. Alius error est impatientia dubi-

tandi, & cœca festinatio decernendi absque debita & adulta suspensione iudicii. Nam bivium contemplationis non est dissimile bivio actionis, à veteribus saepius memorato: cuius altera via initio plana & facilis erat, sine autem impervia; altera ingredienti asperaret & confragosa, ubi paulo processeris, expedita & aquabilis.

39. Haud secus in contemplationibus, si quis à certis ordiatur, in dubia desinet, sin à dubiis incipiat, eaque aliquam diu patienter toleret, in certis exitum reperiet.

40. Quinta causa est. Nimirum ingenii confidentia in multis: Hostangit seqve ab iis separat Cartesius de Methodo: Multi sunt, inquit, qui cum plus aequo propriis ingenii confidant, nimis celeriter solent judicare, nunquam satisibi temporis sumunt ad rationes omnes circumspiciendas.

41. Septima causa est, spes precox quacunq[ue] de causa concepta. Ita qvi ma-

magna nimis spirant, ac sperant, ut in primis juvenes excitati aut inflati ingenii, cuncta spem coarctantia aversari solent, deque iis, quæ captum ipsorum & intelligentiam superant, non raro sententiam ferunt.

42. Octava causa præcipitiae est, pudor ignorandi & scientie ignorantia. Ignominiosum quippe censetur, cogitationes habere steriles, mentem quæ nihil gignat, nihil veri aut præclarri concipiatur.

43. Sed cum multis, quo minus possint ad rerum penetralia accedere, frigidus obsistat circum præcordia sanguis, eosque in percipiendo tardiores reddat, frequenter evenit, ut, ne ignari, sed potius multa scire videantur, judicium præcipiant.

44. Nonna causa est reverentia erga homines, tum antiquos, tum hodiernos magnæ autoritatis. Hæc enim

enim autoritas facit, ut multi rem non examinantes, illico talis aliquujus viri judicium sequantur, atq; ideo credant, qvia IPSE DIXIT.

45. Alii errare cum veteribus, qvam cum recentioribus vera sentire malunt. Verum omnes illi nihil aliud agunt, nisi ut ex omnium rerum domino atq; dictatore intellectu efficiant mancipium alienæ libidinis, ut Scaliger loquitur.

46. Hinc Cornelius Martini de Logic. Analyti materiali Cap. 10. vehementer suos adhortatur Auditores, ne se eum in modum abripi patiantur. *Nevos, inquit, terreat nomina, sint Theologi, sint Philosophi, et summa & infima cathedra, nihil interest, vos quid dicant & quomodo suapro-  
bent, attendite.*

47. *Decima causa est docendi officium.* Nam qui ad alios docendos vocati sunt, vel qvia rogantura di-

scipi-

scipulis, qvibus respondere tenentur, & à qvibus redargui non possunt, vel qvia gloriam captant, multa in publicum edendo, sæpe numero judicium de rebus qvam plurimis præcipitare, & immaturos fœtus in lucem solent protrudere.

48. *Decima causa est vocabulorum & sermonis usus.* Multi enim simul atq; vocem audiunt & loqvendi modum, illico è sermonis intellectu de rebus significatis judicium faciunt, non considerantes prius, qvis nomina rebus imposuerit, & qvam recte.

49. *Hinc Illustris Baco de Verulamio Novi Org. lib. 1. aph. 43.* Verba ex captu vulgi imponuntur. Verba plane vim faciunt intellectui & omnia turbant.

50. *Etaphor. 59. Verba autem plerumq; ex captu vulgi induntur, atq; per lineas vulgari intellectui maxime conspicuas res secant.* Qvum autem

*intellectus acutior, ant observatio diligentior, eas lineas transferre velit, ut ille sint magis secundum naturam, verba obstrepunt.*

51. Undecima causa est levitas & *inconstantia*. Hæc eos tangit, qui propter leves rationes & objectiones, quas illico solvere non possunt, à verò clare semel & distincte percepto deflectunt.

52. De tali modo peccantibus ait Cicero 4. Academicarum Quæst. Fallacibus & captiosis interrogacionibus circumscripsi arguti decepti quidam, cum eas dissolvere non possunt, defescunt à veritate.

53. Itaque vera sententia non debet per præcipitantiam deseriri, neque neganda sunt manifesta etiamsi solvere non possemus quæ sunt difficultia, sed eximum Platonis præceptum tenendum, quod his verbis in argumento Phœdonis Marsilius exprimit,

54. Ne

54. Ne rationibus ullis absq; longa examinatione credamus: postquam vero rationi cuidam, sufficienti examine crediderimus, ne facile inde ob quaslibet objectiones similitudinesque amovamur.

55. Qui nimis celeriter currit, sàpe cadit. Nec veritas adeo patet, nec intellectus adeo perspicax est, ut primo quasi impetu eam apprehendat, unde Poeta quidam:

*Judicium præceps insani judicis index,*

*Omnia sunt longis discutienda moris.*

56. Alias præcipitantia in judicando causas omitto, cum satis ex his cognoscatur, non solum quam studiosè sibi ab ea caveant Cartesiani, verum etiam quam sit necessarium de ea cavenda præceptum.

M 5

CON-

## CONSECTARIA.

1. Ex his jam qvivis facile vide-  
re poterit, qvatn injuriose Doctiss.  
Vir præjudiciorum Cartes. accuset,  
cum tamen ipsi nunquam in amo-  
liendis iis Doct. Viro cedant, imo  
(qvod pace ejus dictum sit) multis  
parasangis superant, ut supra vari-  
is in locis sole clarius demonstra-  
tum deditus.

2. Qvod Cap. VI. §. 16. dicit,  
sed dicit solum & non probat, Car-  
tesium qvidem intendisse præjudi-  
cia seponere, sed nimis intendisse,  
& ita incautum in eadem ex nimio  
vitandi studio, tanto citius & cras-  
sius incidisse, signum ingentis præ-  
judicii esse qvivis facile videt.

3. Similitudo ejus, de eo qvi ma-  
gnō nisu equum ascendere volens exal-  
terolatere ab eodem iterum decidebat,  
levitatis, Philosopho minus con-  
veni-

venientis (ne plus dicam) argu-  
mentum est.

4. Neqve præjudicium Præcipitan-  
tie vel ineptæ ratiocinationis commi-  
sit, dum ex eo, qvod sensus aliquan-  
do occasionem fallendi dederunt, (Car-  
tesius sic non loquitur, sed dicit  
nos sensus decepisse) infert, (non ut  
Doct. Vir inquit sensus semper fallere,  
Cartesius enim nunquam adeo  
crudis verbis & rudi ore hanc sen-  
tentiam exposuit) sensibus non  
nimis esse fidendum.

5. Et certe miror, prudentiam  
Philosophandi præscriptorum,  
hanc prudentiæ regulam non ani-  
madvertisse, qvæ etiam in ejus foro  
Politico maximè alias observatur;  
Saltem nescio qvi factum sit, qvod  
Epicurum imitanti illa non occur-  
rerit, cum tamen totidem fere ver-  
bis ut Philosophus noster, eam ex-  
presserit.

6. Nimirum : Si unus sensus SE-  
MEL

MEL in tota vita mentitus sit, nulli unquam esse credendum.

7. Philosophus noster sic effert. Prudentia est, nunquam nimis fidere iis, qui nos vel semel deceperunt :

8. In Politicis revera, non facile adhibetur fides ei, qui vel semel sciens volens in re alicujus momenti, fuit mentitus, ut infra ostenderemus.

9. Ad stipulatur Philosopho nostro etiam Romanæ Eloquentiæ Princeps Tullius: inquit: Negnos contra sensus aliter dicimus ac Stoici, qui multa falsa esse dicunt, longeque aliter se habere, ac sensibus videantur. Hoc autem si sit, ut unum modo sensibus falsum videatur; præsto est qui neget rem ullam percipi posse sensibus.

10. Et profectò si unum falsum admittitur, perit certa fides reliquorum, quia qua ratione erratum est

est à veritate unius, pari ratione potest error committi in alio.

11. Jam autem sensus non semel, non aliquando; sed siccissimè errant; qvod neque ipsem Vir Doct. inficiari poterit, anne ergo horum suffragio verum dijudicabimus? Absit.

12. Summa enim amentia est, in eorum fide, inquit Tullius, Spem habere, quorum perfidia toties deceptus sis. Nam primo quidem decipi, incommodum est: uerum, stultum, tertium, turpe.

13. Sed adducam integrum Ciceronis locum, ut ex eo dilucide appareat: quam appositè & verè Philosophus afferat, Prudentiæ regulam esse, eis non assentiri, qui nos vel semel deceperunt, & quam invicta ratione ex eo, qvod sensus sapientius nos fallant, omnem prorsus fidem eis esse denegandam, concluserit Philosophus.

14. Hoc namqve argumento a-

pud Judices Romanos, Carthaginensibus fidem non esse adhibendam evincit, inqviens: *Qui super numerò nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus. Si quid entm perfidiâ illorum detrimenti acceperimus nemo erit præter nosmet ipsos, quem jure accusare possimus.*

15. Ac primum quidem decipi, incommodum est: iterum stultum; tertium turpe. Carthaginenses autem persépe jam nos fefellerunt. Summa igitur amentia est, in eorum fide spem habere, qvorum perfidia toties sis deceptus.

16. Multa præterea virtus veritatis Philosopho nostro Doctiss. Virg., qvibus recensendis in præsens supersedeo. Nam præterquam qvod intralimes, qvos in hoc tractatu mihi præscripsi, continere me cogor, ea ad calcem hujus tractatus in qvæstionibus aliquot resumemus, qvare conjectariis nostris hic finem imponimus.

CAPUT

## CAPUT XIV.

De anticipatis opinionibus in judicando fugiendis.

In nihil ante judicassemus de rebus, qvarum cognitionem maturioribus annis appetimus, & si intellectus ad scientias se applicans, tabulæ rasæ seu chartæ puræ (ut nunc loquimur) instar se haberet, sufficeret præcipitantiam in judicando effugere.

2. Nunc, qvia mens ad disciplinas accedens varias notiones inscriptas habet, varia judicia jam antefecit de rebus qvam plurimis, & plerumqve erronea & inconsiderata, videmus, qvam infirma sint, qvæ his superstruimus.

3. Cum

3. Cum enim recensitis modis, mens erroribus, ac præjudiciis à prima infantia imbueretur, non aliter fieri potuit, qvin errores tum admissi & longa consuetudine firmati, aliorum deinde errorum causa existerent, & plurimi tam horum, qvam illorum semper etiam viris adhærescerent.

4. Et qvemadmodum debili atque instabili fundamento, vacilans & ruinosa superstruitur mōles, ita ex falsis principiis non nisi dubiarum & fluctuantium opinionum adficiū exstruitur.

5. Accedit, qvod etiam à matribus & nutricibus fabulas plures audivimus, qvibus aliquorum mentes admodum interdum fuerunt depravatæ:

6. Qvodq; ex conversatione cum populo, ex loquendi modis, conceptibus exprimendis minus aptis,

aptis, plurima falsa veris admista hauserimus.

7. Denique ex Præceptoribus & libris, qvos habuimus varios ac differentes, plurima & vera & falsa, didicimus, nunc horum, nunc illorum monita secuti. Hi enim, Doctores ac Magistri nostri, antequam serio philosopharemur, fuerunt, qvi nec inter se conjunctim, nec sibi ipsis sigillatim semper consensere.

8. Unde hoc seqvitur, nimirum, fieri non posse, ut judicia nostra tam firma sint ac recta, qvam essent, si à sola matura profecta ratione omnia fuissent.

9. Verba Ciceronis ad illustrandum supra dicta hic adscribere, non pigebit. lib.3. Tusc. qvæst. mox ab initio: *Qvod si, inquit, tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri & perspicere, eademque optima duce cursu vita confidere possemus: haud erat*

erat sanè, quod quisquam rationem, ac doctrinam requireret.

Nunc parvulos nobis dedit ignicullos, quos celeriter malū moribus, opinionebusq; depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat: sunt enim ingenis nostris semina innata virutum: quæ si adolefcere licet, ipsa nos ad beatam vitam natura perducet.

Nunc autem simul atque editi in lucem, & suscepit sumus, in omni continuo pravitate, & in summa opinionum perveritatem versamur; ut penè cum latente nutricis errorem suxisse videamur.

Cum vero parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus, tum ita variis intuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatae natura ipsa cedat.

Accedunt etiam poeta: qui cum magnam speciem doctrine, sapientiaque preseculerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur, & inhärescunt penitus in menti.

mentibus, cum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficiuntur opinio- num pravitate, à natura que ipsa descimus.

10. Hinc jam Cartesius præcepto de præcipitantia jungit illud, de vitanda anticipatione.

11. Sed anteqvam modum exponamus quo hæc anticipatio præcaveri commode possit, particulatim prius exponamus, qvot modis, qvibusq; de causis eveniat, ut non ex præsenti perceptione, sed ex præconcepta opinione judicemus.

12. Prima causa est fuga laboris, de qua Cartesius in Resp. quint. ad primam Medit. ait, plerosque homines fateri quidem verbo tenus, præjudicia esse vitanda, sed tamen nunquam illavitare, quia nullum studium aut laborem in hoc impendunt. At priorem, judi-

judicandi modum dediscere ac deponere, hoc opus, hic labor est.

13. *Secunda causa est*, qvia aliqui putant, se ante hac de iis non judicasse, de qvibus non nisi matura ad disciplinas ætate judicandum est, aut certo existimant aliter se judicasse.

14. *Tertia causa est*, qvod pleriq nulla ex iis, qvæ semel ut vera admiserunt, pro præjudiciis habenda esse arbitrantur, verba sunt Philosophi nostri Resp. qvint. ad 1. Med. sed potius considerante a tancvam sensu cognita, vel à natura sibi indita, sicut docetur Princip. 1. art. 71. in fine. Non mirum proinde qvod parum vitent illud qvod vietandum esse negant.

15. *Quarta causa est*, qvod anticipatæ opiniones semper obversantur, semper inhærent memoriæ. Princip. 1. art. 72. Unde semper recurrent consuetæ opiniones, ut ani-

animadvertisit Philosophus Med. 1. §. 7. qvæ memoriæ sunt infixæ & qvæsi in habitum transferunt, eaq vestigia cerebro nostro impresserunt, ut nostra cogitatio, non possit non s̄æpe ab iis affici.

16. Quemadmodum tam firmiter nostro cerebro impressa est idea solis bipedalis, ut, qvamvis ex Astronomia cognitum habeamus, solem esse longe majorem terræ, dum tamē ad istam ideam in cerebro attendimus, vix illud possimus nobis persuadere. Unde Epicurus contra omnes astronomorum rationes ausus fuit asseverare, solem non majorem esse qvam apparet. Ut in præf. Princip. Gall. notat Cartesius.

17. *Quinta causa est*, qvod non consideremus causas cur male olim judicaverimus. Unde Cartesius non modo generaliter considerat errorum causas tum procreantes,

antes, tum conservantes circa finem Princip. partis primæ, verum etiam speciatim ubique inquirit, & quid olim judicaverit, & quia de causa, quid ita judicandi occasionem præbuerit. Vid. Med. VI. p. 37.  
Et primo quidem &c.

18. Unde etiam appareat, quam accurate procedat in suo philosophandi modo: Nam ut ex prioribus principiis nihil pro sensuum veritate veri aut certi reperire potuerit, uti appareat ex medit. prima, tamen nunc inventis aliis certioribus principiis ea resumit, ut inquirat, num nunc forte argumentum reperiiri queat pro sensuum veritate:

19. Antea enim judicaverat temere ex consuetudine judicandi & præjudiciis, nunc novit, non judicandum esse, nisi de rebus prius clare & distincte perceptis.

20. *Sexta causa est, obstinatio pertinax,*

*nax, qva constricti plerique nolunt opiniones semel receptas depo-*

*nere.*

21. Huc pertinent omnes, qui metuunt ne vanæ levitatis, & inconstantia arguantur, si ab eo defendendo quod semel suscepereunt desistant. Sed illis cogitandum, præclaros etiam viros non modo opiniones mutasse, sed etiam Retractationum libros scripsisse.

22. Et sicut in juramento contra Dei verbum concepto, sine ullo decoro observatur illud vulgare, in turpi voto muta decretum, in malis promissis rescinde fidem: ita in opinionibus contra rectam rationem praconceptis, mutatio in melius culpari non potest.

23. Neque valere hic debet illud: turpis ejicitur, quam non admittitur hospes, cum non tam probrosum immaturæ atati sit errare, quam

quam naturæ est, in errore velle perseverare.

24. *Septima causa est*, desperatio de sententiis & doctrinis melioribus. Ita diffidunt ac desperant, qvi nihil dici nunc posse censent, qvod non dictum sit prius, nihil inventi, qvo mundus tam diu care re potuit, ideoqve in Philosophia tritam viam esse tantummodo se quendam.

25. *Ottava causa est*, reverentia, & amor intempestivus erga eos, a qibus opiniones haesimus. Nota est de Principe Phrisio historiæ, qvi se ad inferos, ubi parentes & maiores ejus esse dicebantur, transire malle respondit, qvam ab eorum opinionibus deflectere qvo tacite indicabat, hoc, qvod de illis asserebatur, nullam habere verisimilitudinem, qvia affectus qvo in parentes ferebatur efficiebat, ut hanc

hanc veritatem mendacem esse crederet.

26. *Nona causa est*, multitudo eorum, qvi anticipatas opiniones fovent. Hæc enim efficit, ut multi eant qvo itur, non qvo eundum est.

27. *Décima causa retentorum præjudiciorum est*, qvod nonnulli cupiunt blandiri populo, novatorumq & paradoxologorum titulum sibi verentur tributum iri.

28. Hic audiendus est *Illustr. Verulamius*, qvi in præfatione N. Organi ita scribit: *Maxima ingenia procul dubio per singulas etates vim passa sunt, dum viri capiebant intellectum non vulgares, nibilo secius existimatios sue consulentes, temporis & multitudinis judicio se submiserunt. Qvam obrem altiores contemplationes si forte usquam emicuerunt, opinionum vulgarium ventis subinde agitatæ sunt & extinctæ. Adeo ut tempus, tanquam flu-*

*vius, levia & inflata ad nos devexerit,  
gravia & solida demerserit.*

29. Sed infestet aliquis, dicendo ;  
Nos quidem hactenus obstacula  
veritatem Philosophicam asse-  
qvendi satis fuse recensuisse, at  
detecto vulneri nullum fuisse ad-  
hibitum remedium, nec viam qvæ  
seligenda nobis sit, ut veritatis  
compotes evadamus, adhuc mon-  
stratam

30. Resp. Nos maxime id agere,  
& hactenus egisse, ut in hâc densa  
errorum caligine viam illam uni-  
cam planam & accuratam, qvam  
Philosophus noster tanto successu  
pressit, detegamus. Cujus rei su-  
pra initium fecimus, dando regu-  
lam qvæ præservare nos facile pos-  
sumus, ne in errorum barathrum  
præcipitemur, si nimirum nulli rei  
assensum nostrum præbeamus, nisi  
clare & distinctè a nobis fuerit  
percepta.

31. Ut

31. Ut autem huic regulæ satis  
fiat, monemus ante omnia, semel  
in vita omnes opinione s sub ex-  
amen revocandas esse, præcipue eas,  
qvæ nonnisi cogitationes sensu-  
um confusas pro fundamento ha-  
bent; atque tum rejectis omnibus,  
in qvibus vel minima dubitandi  
occasio reperitur, nihil pro vero  
admittendum, nisi qvod clare &  
distinctè mens nostra talè esse per-  
cipit.

32. Hujus autem universalis o-  
mnium veterum opinionum ex-  
aminis initium faciendum est ab e-  
versione earum, seu abdicatione,  
qvæ fit per dubitationem de omni-  
bus.

33. Hac enim ratione Mens no-  
stra ab omnibus præjudiciis libera-  
tur, ita ut omnem in judicando  
præcipitantiam & anticipationem  
sollicitè evitet.

34. Insuper qvoqve efficitur illa

N 2

uni-

universali Dubitatione, ut ordine philosophari possimus: qvod aliter nunquam apposite fieri posset, qvæcunque tandem adhiberetur, diligentia & attentio, nam nec ubi initium esset capiendum, nec ubi subsistendum, appareret.

35. Nam etsi fortassis aliquas veras opiniones, anteqvam serio philosophamur, habeamus, ex tamen multis aliis, vel falsis, vel saltem dubiis ita permixta sunt, ut qvæ veræ, qvæ falsæ sint, secerni non possit, nisi initio omnes rejiciantur, & omnes omnino abdicentur, ut postea commode & decentiore ordine, qvæ veræ fuerint agnoscí, vel novæ inveniri, ac solæ veræ admitti possint.

36. Denique ut de iis, qvæ ita vera esse comperimus, postea non amplius dubitare possimus; atque ita dubitatio ab initio facta remedium est, ne dubitatio in infinitum pro-

progrediatur, sed ut aliquando finiatur, ubi prima veritas se dubitando manifestaverit.

37. Non est ergo, cur qvis hanc dubitationem putet esse noxiam, aut Atheismi & scepticismi insimulet. Nobis enim ea nihil aliud est, quam universalis quædam judicij suspensio, & recognitio eorum qvæ in eunte aetate & juvenilium annorum tempore judicavimus, ut animadvententes qvæ rectè judicata, qvæ secus, alia quidem assumamus in philosophando, alia rejiciamus.

38. Unde etiam dubitatio hæc nostra non spectat, nisi ad eum, qui nondum posuit philosophiæ fundamentum, qui nihil adhuc scientificè demonstravit, nihil clarè percepit.

39. Atque hac methodo philosophandi manifestum evadet, primam conclusionem certam, qvæ

veritatem inquirenti ordine occurrit, esse hanc, *Cogito, ergo sum.*

40. Nam quamvis æque verum sit, si ambulo, ergo sum, non tamen adeo certus sum me ambulare, quando credo me ambulare, quam certus sum me cogitare, quando credo me cogitare:

41. Sed jam videamus, quandom nam quis certus esse potest, se rem clare & distinctè cognoscere, & quomodo explorari possit, an rem aliquam evidenter percipiamus, an vero temere nobis persuadeamus nos eam cognoscere.

42. Clare & distinctè rem cognoscimus, si institutum à recta ratione ordinem sequamur, & *Judicium* non præcipitemus, antequam evidens perceptionis veritas nobis præluxerit; quod fit, si scilicet attenti simus ad rem quam examinamus, videamusq; an id quod evidenter percipere nos credimus,

ne-

necessario sequatur ex primis istis, & infallibilibus veritatibus, quas per novum examen, quod de omnibus antiquis nostris opinionibus instituimus, invenimus.

43. Exempli gratia, an sequatur necessario ex hac veritate; quod is, qui veritatem hoc pacto querit, debeat esse substantia cogitans; aut quod cogitatio in sua notione non includat aliquam extensionem, aut ex hac, quod omnes nostræ perceptiones claræ & distinctæ sint, vera:

44. An vero sequatur ex ideis primitivis, quas in nobis habemus; & si ita sese rem habere comprehendamus, tunc certi esse possumus vere nos percipere id, quod nos cognoscere credimus.

45. Quod si autem propositio quam examinamus, primis noti- nibus istis aduersetur, rejicienda est tanquam vanum phantasma,

qvod nullam veritatis speciem  
habet.

## CAPUT XV.

De Modo perveni-  
endi ad claram & distinctam  
perceptionem.

1.

**O**stendimus superiori Capitu-  
le, claram & distinctam  
perceptionem Mentis, so-  
lam & unicam esse veritatis adipi-  
scendæ Regulam, demonstravi-  
mus qvoqve non aliter ad eam nos  
posse pervenire quam per genera-  
lem omnium veterum opinionum  
abdicationem, atq; novam attenti-  
onem, qvâ hanc in perceptionibus  
nostris conservamus evidentiam,  
ut de omnibus rationi nostræ ac-  
commodatis solide judicare, & o-  
mnes

## LOGICÆ CARTESIANÆ 297

mnes veritates, qvarum sumus ca-  
paces, asseqvi possimus.

2. Supereft, ut qva hanc eviden-  
tiam gignere & conservare possint  
jam paucis exponamus:

3. Ea autem duplices sunt gene-  
ris. Alia sunt in nobis, aut à no-  
bis aliquatenus pendent, alia à no-  
bis non pendent.

4. Nam qvemadmodum, ut  
objecta visibilia distincte videa-  
mus, necesse est nos pollere visu  
perspicaci, illumqve attentè in his  
objectis defigere, qvæ duo in no-  
bis sunt, & aliquo modo à nobis  
pendent; sic necesse est recto pol-  
lere ingenio, illudqve strenue ap-  
pellere ad penitus inspiciendas ve-  
ritates intelligibiles: qvæ duo et-  
iam in nobis sunt, & à nobis aliquat-  
enus pendent.

5. Sed qvemadmodum oculi o-  
pus habent luce ad videndum,  
istud vero lumen à causis alienis

N 5

pen-

pendet; Sic Mens eget ideis ad concipiendum, qvæ ideæ, ut alibi probatum est, non pendent à nobis, sed à causâ alienâ illas producente.

6. Si igitur ideæ rerum menti nostræ non adessent, qvotiescunq; illas habere optamus, & si Deus qui mundum illuminat, illas nos latere vellet, huic defectui mederi, aut qvicqvam cognoscere neqvaqvam possemus: qvemadmodum vide re qvicqvam impossibile ei est, qui caret lumine.

7. Verùm non est qvod hoc metuamus, qvippe præsentia idearum menti nostræ cum sit naturalis & à generali & immutabili Dei voluntate pendeat, nuncq; vam nobis deest ad res rationi naturaliter subjectas percipiendum.

8. Cum igitur ideæ rerum maxime primitivarum qvæ paucæ sunt, perpetuo nobis adsint, facillimum que

que sit earum meminisse; (ad omnes enim proprietates mentis cognoscendas, non nisi notionem cogitationis habemus, & ad omnes proprietates corporis non aliam, quam ideam extensionis & deinde figura & motus, & quantum ad natu ram DEI Opt. Max. nostri attinet, qvicqvid de ea sine auxilio revelationis cognoscimus, id omne in eximia illa, & sublimi notione Extensionis perfectissimi situm est, unde sequitur eum esse Simplicissimum, Neces sarium, Infinitum, Omnisium, Omnipotentem, Primam & principalem Causam omnium aliorum entium.)

9. Nihil aliud nobis superest ad conservandam evidentiam in omnibus nostris perceptionibus, nisi ut qvaramus media qvibus mens attentior fiat & capacior.

10. Et qvia objecta qvæ consideramus, plures s̄pē habent relationes, quam ut illas omnes unico

mentis appulsu queamus percipere, indigemus nonnullis adhuc legibus qvibus instituamur ad omnes difficultates ita diluendas, ut adjuti auxiliis, qvibus mens fiat attentior & capacior, omnes relationes rei qvam examinamus evidentissime percipere possimus.

11. Utque hoc pacto evidentiam in ratiociniis nostris conservemus, & uno qvasi intuitu connexionem necessariam inter omnes partes ratiociniorum nostrorum etiam maximè prolixorum deprehendamus.

12. Ante omnia ergo ut mens attentionem conservet, simulque ut ad claros distinctosque conceptus sensim promoteatur, considerandum est, sitne id qvod cognoscendum proponitur, simplex & unum qvid, an vero conjunctum aut complexum.

13. Si simplex fuerit, dupliciter spe-

spectabitur, vel ut res per se subsistens, hoc est, *substantia*, vel ut *Modus*, seu *Attributum*:

14. Si illud, de qvo cogito, substantia, seu Res proprie dicta fuerit, ut clare & distincte percipiatur, videndum est, tum ex qvō rerum genere sit, seu ad qvam classem pertineat, tum qvæ habeat attributa.

15. Hæc enim cuiusque rei ad classem suam reductio, confusio nem intelle&tus & perceptionis nostræ tollit.

16. Substantia est duplex; *Creatra* & *Increata*. *Increata* est, qvæ ab omni alia re independens est; Ut Deus Opt. Max.

17. *Creatra* est, qvæ licet alia Substantia non indigeat ad existendum, concurso tamen Divino opus habet, nec nisi illius ope existere posse intelligitur: Ac proinde non

simpliciter, sed secundum quid  
tantum est ens.

18. Rerum Creatarum iterum  
duæ classes sunt, alia est *Intellectua-*  
*lum*, alia *Materialium*.

19. Ad classem rerum *Intellec-*  
*tuum*, refertur *Substantia cogitans*, si-  
-ve Mens cui immediate inest cogi-  
tatio: Huc quoque pertinent o-  
mnes actus, seu modi cogitativi,  
ut pure *intelligere*, *imaginari*, *sen-*  
*tire*.

20. Ad classem rerum *Corporali-*  
*um*, referuntur *Corpora*, quæ sunt  
substantiæ in longum, latum, &  
profundum extensiæ: Vel quæ sunt  
subjectum immediatum localis ex-  
tensionis & omnium modorum,  
qui extensionem præsupponunt:  
ut sunt *magnitudo*, *motus*, *figura*, *sunt*,  
*motus*.

21. Ex quibus facile animadver-  
ti potest, duo tantum rerum gene-  
ra esse admittenda, *Materialium*  
nimi-

nimirum, & *Immaterialium*, sive *Co-*  
*gitatiavarum*. Cætera enim ad illa  
ut Modi, seu affectiones referun-  
tur. Quæ autem sint illæ, & quæ  
aliter ad subjecta sua se habeant jam  
explicandum restat.

22. Modus rei est illud Attribu-  
tum, seu Qualitas, quæ in ipsa sub-  
stantia esse concipitur, illam de-  
terminans, ut certo quodammodo  
sit, & talis nominetur.

23. Talia autem attributa unirei  
multa attribui possunt, quorum  
singularem, vel aliquid rei nobis  
declarant. Unde quo plura novi-  
mus rei attributa, eo clarius eam  
intelligimus.

24. Hæc attributa sunt dupli-  
cia, *positiva* seu *affirmativa*, vel *ne-*  
*gativa*.

25. Positiva semper plus confe-  
runt ad rei intelligentiam, quam  
negativa, quoniam negativa, non  
tam

tam declarant quid res sit, quam  
quid non sit.

26. Exempli gratia: Naturam  
Angeli melius ex eo discis, qvod  
intelligentem percipis, quam ex-  
inde, qvod esse incorporeum, im-  
materialē, invisibilem, consi-  
deras.

27. Præterea si nosti attributa  
Positiva, etiam negativa nosti, non  
vero vice versa. Nam si Ange-  
lum nōstī intelligentem, nosti si-  
mul ex divisione rerum, esse incor-  
poreum & invisibilem.

28. Attributa autem concipiun-  
tur in rebus vel *absolute*, vel cum *re-*  
*spectu ad rem aliam*.

29. Qvoties jam clara & distin-  
cta rei perceptio expetitur, in-  
vestiganda potius sunt attributa ab-  
soluta, quam *respectiva*, qvia illa in-  
consideratione ipsius rei, hæcau-  
tem in mentis, rem unam ad aliam

refer-

referentis actione consistunt; unde  
& relationes dicuntur.

30. Deinde respectiva, qvia cum  
aliis quasi colligata, & mixta sunt,  
non possunt esse tam distincta,  
quam absoluta qvæ ab aliis soluta  
sunt.

31. Sed præterea attributa sunt  
etiam, vel *propria*, vel *communia*.  
Jam autem, in rei clara perceptio-  
ne plus præstat *propriorū attributorū*  
*investigatio*, qvam quidem *communi-  
um*, qvia per illam res à rebus di-  
stinguitur, per hanc autem quid  
commune cum aliis habeat depre-  
henditur.

32. Jam si qværas, qvæ sint pro-  
pria rerum intellectualium & cor-  
porearum attributa, Respondeo:  
Rerum *intellectualium* propria sunt,  
perceptio sive *intellectus*, *judicium* sive  
*affirmatio* & *negatio*, *velle*, *nolle*, & *si-  
milia*, qua sive cogitatione esse neque-  
unt.

33. Re-

33. Rerum Corporearum propria sunt magnitudo in longitudine, latitudine, & profunditate consistens, figura, qvæ ex determinatione magnitudinis oritur, situs, quem diversis figuris distincta corpora habent inter se, motus, sive mutatio istius situs, quies, seu permanescio in eodem situ, qvæ quidem clare & distincte percipiuntur.

34. At verò lumen, & color, sonus, odor, sapor, calor, & frigus, aliæque tactiles qualitates, nonnisi confusa & valde obscure cogitantur.

35. Si jam attributa rerum intellectualium, ab attributis rerum corporalium accurate distinguamus, tam clara ac distincta hauriri potest rei intellectualis & corporeæ notitia, ut nihil ultra desideres.

36. Qvod attributa communia concernit, qvoniam eorum scientia, proprie ad scientiam entis quantum

tenus ens est, pertinet, in Ontosophia verius docentur; qvia tamen ad claram & distinctam perceptionem faciunt. Ea hic describere, non erit inconsultum:

37. Eorum primum est *Essentia*, qvæ etiam *Natura* dicitur: per quam res est, & est id qvod est: Ita cum affirmamus essentiam rei corporeæ in eo consistere, qvod sit res in longum, latum, & profundum extensa, nihil aliud intelligimus, quam qvod extensio ista in corporeare primum, præcipuum, & intimum sit, à quo divisibilitas, figura, situs, & alia pendent; qvod substernitur quasi *motui*, *quieti*, *colori*, & reliquis corporeis qualitatibus; deniq; qvo posito corpus ponitur, ablato vero & corpus & quicquid est corporis aufertur.

38. Cum autem alicui rei Essentiam attribuimus, duo intelligimus, nimirum, qvæ in Scholis ma-

materialis & formalis nomine distingvuntur.

39. Prius est magis *generale*, nemppe, quod esse reale extra intellectum obtineat, quo ipso quasi extra nihilum ponitur, vocari etiam solet *ens positivum*, nam aptum est naturam suam, positivo seu affirmativo mentis conceptu apprehendi.

40. Posterius est speciale, videlicet quod hoc esse reale habeat, non aliud.

41. Unde *ens* quodvis à quovis alio ente per suam *essentiam* distinguatur.

42. Illud etiam ex dictis obiter observare liceat, quod illa vocabula rerum essentia exprimendis sint aptiora, in quibus materiale & formale distincte, veluti genus & differentia reludent, quam alia, in quibus neutrum horum, vel alterutrum tantum appareat, cum priorista pro integris definitionibus habe-

617

haberi possint. Vide Ontosopha, Claub.

43. Nota etiam, *Essentiam* duabus modis accipi, quæ primario quidem, in substantiis, secundario vero etiam in accidentibus & attributis consideratur. Itaque *essentia* vel esse rei aut dicitur *latissime*, utenti in prima significatione respondeat, atque ita notat cuiuscunque rei formalem rationem, seu cuiusvis intelligibilis quidditatem animo conceptam, quam definitione explicamus.

44. Aut dicitur strictè, significatque primum & præcipuum reales entis attributum, eines selbständigen Dinges Wesen und Natur.

45. Secundum attributum est *Existentia*. Nam ubi aliquo saltem modo innotuit quid sit illud de quo ambigitur, statim queritur, an sit, seu an detur in rerum natura ens illud, cui definita ista convniat

niate essentia. Ad hanc autem quæstionem pertinet Existentia, sicut ad quæstionem quid sit, Essentia.

46. Est autem Existentia, per quam Ens actu est, seu per quam habet essentiam actu in rerum natura constitutam, qui etiam Actus entitativus, cognominatur.

47. Ex hac definitione apparet, essentiam involvi in conceptu existentiæ, adeoque ab invicem secerni non posse, ita ut in Mundo Essentia sine Existentia esse queat, cum proprie loquendo, nihil aliud sint, quam duo diversi Modi cogitandi.

48. Potest tamen è contrario essentia saxe intelligi, & quæstio quid est solvi, nondum intellecta existentia, nec soluta quæstione. An sit: ut cùm intelligis quid sit triangulum, quid novenarius.

49. Atque ita dicimur abstrahere essentiam ab existentia, quemadmo-

modum in eis facimus scientiis, quæ res universales considerant, atque utrum eæ reperiantur in natura, nec ne, parum curant.

50. Rerum Essentia & Existentiæ succedit Perfectio: Scimus unus rei plura esse attributa, quorum unum ex iis non adqvat rem totam. Unde concludimus, plura unius entis attributa esse, quasi plures realitates.

51. Nam nisi uno aliquid apprehenderet mens nostra, quod altero non apprehendit, citra rem multiplicaret attributa rei.

52. Res autem habens omnia, quæ cogitamus ratione veritatis atq; bonitatis ei deberi, dicitur perfecta. Ita Mentis humanæ perfectio, in omnium ejus attributorum complexione consistit.

53. Unde perfectum vocatur, cui nihil deest, nihil supereft, & per con-

conseqvens, cui nihil addi, nihil demi potest.

54. Hinc is rem perfectè nosse dicitur, qvi omnia ejus attributa cognovit, hoc est, qvi rem consideravit omnibus modis, qvibus considerari debet.

55. Ad rationem igitur formam perfectionis pertinet negatum excessus, tum defectus.

56. Sed observabis, excessum esse, duplarem: alium, qvi mutat natum rei, bonam in malam convertendo, veluti cum audacia in temeritatem transit: alium qvi tantum rei quantitatem auget, ex bona faciendo meliorem, ut cum spes æternæ salutis abitin piam fiduciam.

57. Perfectionis nomen, non tantum pro complexione attributorum omnium, & partium ad integratatem pertinentium sumitur: sed interdum generali significacione

tione attributum quodvis perfectio dicitur.

58. Distingue præterea inter perfectionem essentialē & accidentalem, seu primam & secundam. Ita perfectio hominis essentialis est, qvod ex animo & corpore organicois constat, quam etiam infans habet; accidentalis est, qvod eruditus, bene moratus &c. sit.

59. Distingvitur etiam perfectio, in eam qvæ est partium, & in eam qvæ est graduum. Secundum graduum distinctionem tribuitur perfectioni quantitas, notabis tamen obiter, aliud esse quantitatem perfectionis, & aliud perfectionem quantitatis.

60. Perfectio quantitatis est iterum vel Finita, vel Infinita.

61. Finita in continuam & discretam dividis solet, hoc est, in magnitudinem & multitudinem,

O

vel

vel in magnitudinis & multitudinis mensuram.

62. Magnitudo iterum vel *extensiva* qvæ quantitas molis alias nuncupatur, vel *intensiva* qvæ alius quantitas perfectionis seu virtutis dicitur; vel successiva est. Sic Jcti statuunt, fidejussorem intensive obligari posse, extensive non posse.

63. Gradus hic perfectionis, est vel essentialis, vel accidentalis, ille speciem variat, hic non item. &c.

64. Aliud substantiaz attributum est *Unitas*, per quam res in se indivisa dicitur.

65. Dividitur unitas, (licet prima frōnte contradictionem involvere videatur) In unitatem *per se*, & eam, qvæ est *per accidens*. Item in *universalē* & *singularē*.

66. *Unum per se* dicitur, quod indivisam habet essentiam, sive sit simplex sive composita, dummodo

do inter partes componentes arcta satis sit conjunctio. Sic Homo, vocari solet unum per se, licet non modo ex dissimiliis, verum etiam facile dissolubilibus partibus sit compositus.

67. *Unum per accidens* dicitur, quod ex naturis diversis ac divisis ita componitur, ut non sit arcta partium conjunctio.

68. *Unitas Universalis* vocatur, si uno conceptu communi res plures inter se similes apprehendantur, estq; vel *genericā* vel *specifica*. Unitatem *genericā* habent Homo & bestia, dum communi animalis conceptu apprehenduntur. Unitatem *specificā* habent Petrus & Paulus, qvatenus communi Hominis definitione cognoscuntur.

69. *Unitas singularis* est rerum, qvatenus citra Mentis nostræ opus, indivisæ sunt, sive qvibus repugnat, in plura entia, omnimo-

dam essentiam habentia dividi. Ex Aristotele Substantia singularis vocatur prima, universalis autem secunda.

70. Hinc verificatur illud inter Philosophos commune: *Omne quod est seu existit, singulare est, quia id quod unum non est, ne est quidem.*

71. Singularem istam cuiusque rei unitatem cognoscere licet ex certis quibusdam proprietatibus conditionibusque, quæ omnes simul sumptæ in alia re eadem numero inveniri nunquam possunt. Hæ vero ad hominem vulgari difficho accommodantur:

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus:

Propria quæ septem continent omnis homo.

72. *Multitudo* est unitatum collectio: Numerus est collectionis istius mensura.

73. Ubi autem multa sunt, ibi unum

unum variis modis referri solet ad aliud, unde *Relatio* exsurgit, quæ etiam inter attributa numeratur, nihil tamen aliud est quam modus Intellectus nostri, rem unam cum alia comparantis, ob proprietates vel actus in illis repertos.

74. Ea, inter quæ relatio instituitur, considerantur vel materialiter, & quodammodo extra relationem, tumque subjectum & terminus appellantur; vel formaliter, prout ipsam relationem ingrediuntur, & ita vocantur relatum & correlatum.

75. Sic si Abrahamum ad Isaacum mente referas, existit Relatio patris & filii, in qua Abrahamus dicitur *subjectum*, Isaacus *terminus*, pater relatum, filius correlatum, quia uti Pater ad filium paternitate, ita filius ad Patrem filiatione refertur. Unde fit ut relata simul natura di-

cantur; qvoniam uno posito & alterum ponitur.

76. Sed ut adhuc distinctius & evidentius Rem in specie & particulatim jam examinemus, debemus eam considerare vel ut *Totum* quid, ex partibus constitutum; vel ut *Effectum*, quod ex Causis existit, vel ut *subjectum*, quod variis adjunctis exornatum est, si quidem his rationibus cuiusvis Rei idea absolute, & ad vivum in Mente Cogitantis exprimitur.

77. Totum vocatur, quod plurimum rerum nexu constat, vel quod partes habet, atq; in eas est divisibile.

78. Hinc quicquid partibus destituitur, totum propriè dici non potest. Sic si Deus, aut Mens totum quid appelletur, id sit *negative*, & tunc totius propriè & positivè sicuti Definitio ei attribui haud poterit.

79. To-

79. Totum triplex est, *Essentiale*, *Integrale*, & *Universale*.

80. Totum *Essentiale* est, quod partibus constat, qvarum una est in alia, qvæ sunt *Materia* & *Forma*, ut *Homo*.

81. Totum *Integrale* est, quod partes habet extra partes, ut *Homo* constans capite, manibus & pedibus.

82. Totum *Universale* vocatur. Genus ad suas species relatum, vel species, ad sua individua; ut *Homo* ad *Petrum* & *Paulum*.

83. *Pars* appellatur, qvæ cum alia com parte, aut pluribus Totum constituit, ut *Anima* & *Corpus*.

84. Pars est vel *Principalis*, sine qua totum consistere nequit. Vel *minus principalis*, qva avulsa, totum quidem non interit, mutilatur tamen.

85. *Causa* nomen aliâs satis perfec-  
tum est, adeò ut frustra expli-

O 4

catio

catio adhibeatur ad naturam ejus explicandam dilucidius. Qvia tamen ejus Divisio in *Materialem*, *Formalem*, *Efficientem*, & *Finalēm* est valde celebris, nulla ratione ea prætermittenda, verum ex Antonio Le Grand in minus exercitatorum gratiam adjicienda videbatur.

86. Causa *Materialis* est id, ex quo res fiunt, aut formantur: ut *Stannum* est materia, ex qua fiunt *Canthari* &c. Unde qvicqvid materiae convenit, aut disconvenit, illud idem rebus qyoꝝ aut convenit, aut disconvenit, qvꝝ ex illa constituuntur.

87. Causa *Formalis* est id, qvod alterum constituit, illudqꝝ à rebus cœteris discriminat: ut *Anima* est forma *Hominis*. Hę duę Causę vocantur aliás internę, qvoniam rei essentiam constituunt, in eaꝝ manent.

88. Causa *Efficiens* est illa, qvꝝ rem

rem alteram producit; estqve rursus multiplex.

89. Aut *Totalis*, seu adæqvata, qvꝝ effectum sola producit, atqꝝ alias ejusdem ordinis causas excludit, ut Deus creans Adamum, dicitur Causa totalis: qvia sine concursu alterius causæ eundem produxit.

90. Aut *Partialis*, socia, s. inadæqvata, qvꝝ mutua ope indigent, & nihil solitariè efficere possunt, ut *Mas* & *Fœmina*, generantes sobolem.

91. Aut *Proxima*, ut Pater Filii; aut *Remota*, ut Avus Nepotis.

92. Aut *Effectiva* s. Procreans, qvꝝ rem efficit, qvꝝ antea non existebat, ut Genitrix Infantis. Aut *Conservans*, qvꝝ facit, ut porrò existat, ut Nutrix.

93. Aut *Univoca*, qvꝝ producit rem ejusdem Naturæ, ut cum homo producit hominem. Aut

*Æquivivoca*, qvæ producit rem à se diversæ naturæ, ut Deus dicitur causa æqvivoca Adami.

94. Aut *Principalis*, qvæ propria virtute, seu voluntate agit; ut Faber ædificii; Aut *Instrumentalis*, qvæ à Causa *Principali* assumitur, atq; illius virtute dirigitur, ut Manus s. Malleus &c.

95. Aut *Universalis*, qvæ in omnes indifferenter impellitur; ut Aqua è fontibus, qui cernuntur passim in Hortis Principum, erumpens & varias Machinas commovens, eorum *Motus* causa est *Universalis*. Aut *Particularis*, qvæ universalem determinat, & eam ad certum efficitum restringit, ut Tabularum aut dispositio, aut figura est causa *Particularis*.

96. Dividitur præterea *Causa* *Efficiens*, in *Naturales* & *Intellectuales*. *Naturales* dicuntur, qvæ ex Naturæ propensione & necessitate, absque

præ-

præunte cognitione effectum producunt, veluti Sol, Ignis, &c.

97. *Intellectuales* sunt, qvæ per intellectum & voluntatem operantur, ut Angeli & Homines.

98. Aut in *Liberam*, qvæ sponte & non coacte agit, ut homo qui ambulat: & *Necessariam*, qvæ necessario agit, ut ignis, quando lignum aridum apponitur & ventilatur, combustionem intermittere non potest.

99. Item in *Propriam*, ut *Sol*, dum cubiculum illuminat est causa propria luminis, quod in eo reperitur. Aut in *causam sine qua non*, ut loqui amant. Dicitur etiam *conditio sine qua non*: ut fenestræ aperiatio luminis Solis in cubiculo existentis.

100. Item in *Physicam & Moralem*: Talis Causa Physica incendi est ignis. Causa autem Moralis incendi, est homo, qui ignem tectis

O 6 appli-

applicuit, aut alios hortatus est, aut jussit, ut applicaretur. Aut in *Exemplarem*, ut forma, quam quis sibi proponit in opere aliquo conficiendo: Et generaliter quicquid Causa esse potest entis objectivi, vel alterius imaginis efformanda. Sic ille qui pictoris oculis vel menti objicitur, est suæ effigiei Causa Exemplaris.

101. Causa *Finalis* dividitur, in *Principalem & minus Principalem*.

102. *Principalis seu Primaria* est illa, quæ principaliter intenditur, ut vestimenti finis primarius, est tegere corpus ac tueri: Minus *Principalis seu secundaria* est, quæ ad agendum minus movet, & veluti accessorium quid consideratur. Ut vestimenti, corpus ornare, illiq; quoddam decus conciliare.

103. Id quod aliquis facere aut obtinere intendit, appellatur *sunt cuius*

*cuius gratia*: Ut eruditio est finis studiorum, sanitas est finis medicinæ.

104. Is cui aliquid expetitur, dicitur *finis Cui*: Sic homo est finis *Cui* medicinæ, quoniam illi sanitatem adferre intendit.

105. Dividitur etiam *Finis in Adueratum & Inaduertatum*. Dingerere intellectum, rationesq; suas rectè formare, in rerum quorumvis cognitione, est *Finis aduertatus Logicæ*. At verò intellectum regere in rebus Physicis cognoscendis, aut virtutum actionibus exercendis, est *Finis Logicæ Inaduertatus seu Partialis*.

106. Hinc colligitur, quod causatum, seu effectus; qui à Causa pendet, ejusque vi est, sit quadruplices: *Effectum*, quod est à Causa Efficiente, ut *Homo à Deo, Illuminatio à Sole: Destinatum, sive medium ad finem ordinatum: Materiatum,*

O 7 qvod

qvod materia constat, & ex ea est constructum: & *Formatum*, qvod per formam est factum.

107. *Subjectum* vocatur illud, cui aliqvid adjungitur; sive cui aliqvid præter essentiam accidit; Sic Corpori adjunguntur vestes.

108. *Subjectum* est vel *Inhaerentie*, ut *materia in qua*, qvod recipit adjunctum in se, ut manus calorem; Vel *Adhaerentie*, qvod recipit adjunctum ad se, ut manus chirothecam. Vel *Continens*, qvod intra se aliqvid complectitur; ut *Vas et gram, vagina gladium*.

109. *Subjectum*, interdum pro *Objecto* accipitur, & est id circa qvod versatur & exercetur seu occupatur adjunctum. Sic *objectum*. *Auditus* est *sonus*, *objectum Visus* est *color*.

110. *Adjunctum* dicitur, qvicqvid præter essentiam inesse consideramus, sive illud propriam qvandam secum

secum adferat realitatem, ut *Ignis* inferri meatibus. Sive nihil aliud sit, qvam substantia modus: ut, in *Mente, Amor, Scientia*; In *Corpo remotus, figura, stans &c.*

III. *Adjunctum* accidentale predicatur de *subjectis* in *concreto*, non in *abstracto*:

112. *Adjunctum concretum* dicitur, qvod accidentalem formam simul cum *subjecto* denotat: ut *Candidus, Eruditus, Magnus*. &c. *Adjunctum abstractum* est, qvod accidentalem, seu modalem formam, significat: Ut *Candor, Eruditio, Magnitudo*.

113. *Signum* est, qvod potentia cognoscendi, h.e. sensui vel intellectui, aliqvid representat: sic idea generaliori significatione accepta, seu conceptus cuiusvis rei in mente, representatrem intellectui.

114. Nota: qvamvis res significataz

catæ menti nostræ repræsentari dicantur, ipsæ tamen revera extra cogitationem nostram manent secundum esse suum proprium, nec aliter mente & cogitatione attinguntur, qvam objecta à facultate, qvæ circa ea versatur, attingi solent & possunt. Vide Ontosophiam Joh. Claub. §. 17. 320. seq.

115. Nam præter istum attingendi modum *objectivum*, inter rem intelligentia præditam & res qvæ extra eam sunt, nulla alia præsentia vel conjunctionis ratio invenitur nisi qvod tanto propius objecto, qvod menti per ideam præsens est, nos jungi sentiamus, qvantò maiore voluntatis affectu attentio nem in eo figimus. Qvæ observatio usui est, ubi de passione & finitione summi boni disputatur.

116. Duplex igitur, qvemadmodum in relatis aliis esse spectatur, alterum *materiale* & *proprium*,

qvo distinguitur à signato & extra mentem cognoscentem exstitit.

117. Alterum *formale* & *vicarium*, qvo ponitur pro signato & in mente cognoscentis est. Illud *reale* esse, hoc *intentionale* & *objectivum* appellatur.

118. Signo secundum esse *materiale* tribuitur *veritas transcendentalis*: signo secundum esse *formale*, competit *veritas signi*, sub qva comprehenditur *veritas & cognitionis*, qvæ in mente *objectum* sibi repræsentante est, & *orationis*, qvæ est in mentis interprete sermone.

119. Hæc iterum est vel *Ethica*, cum sermo convenit cum *Mente*, cui opponitur mendacium: vel *Logica*, cum sermo convenit cum *re*, cui opponitur enunciatio falsa.

120. Et qvoniā duplex est signi realitas, duplex item veritas, non erit inconveniens ut etiam dupli cem

cem ejus causam consideremus. Una est qvæ producit esse proprium; altera qvæ efficit esse vicarium. Sic Mens de Deo cogitans est causa idæ seu notionis, qvatenus in operando Deum sibi representat: atqvi Deus est causa exemplaris illius idæ. Pistor est causa panis materialis. &c.

121. Signa, alia suapte natura signant, ut *statua*, vel *imago hominem*, fumus ignem. Alia ex arbitrio voluntatis humanæ, ut *hedera* vini vendibilis. &c.

122. Signum qvod notificat quantitatem dicitur Mensura; sive intelligas quantitatem, perfectionis, sive extensionis, sive intensionis, sive successionis, sive multitudinis. Secundum qvas quantitates variatur etiam mensura:

123. *Perfectionis* mensura generaliiter est illud, qvod summum exquisitissimumque vel primum in uno

uno qvoqve genere reperitur. Hoc genus mensuræ ab aliis signorum natura deflectit, qvoniam prius & potius est mensurato.

124. *Extensionis* mensura alia est interna, alia externa, sic ulna est mensura externa panni, at vero interna mensura ejus est quantitas.

125. *Intensionis* mensura est calor manus, coloris in aqua. *Successionis* mensura est tempus, Motus. *Multitudinis* mensura est collectio unitatum in numero &c.

126. Ut autem res aliqua notificare quantitatem, atqve ita mensura officio fungi queat; requiritur ut 1. sit homogenea mensurando, 2. ut sit aliquid indivisibile, 3. ut sit notior mensurando.

127. Sub signo etiam continetur *Imago & Exemplar.*

128. *Imago* est, qvicqvid aliunde per similitudinem expressum est: atqve ita differt à similitudine,

ne, ad quam sola convenientia sufficit.

129. Exemplar vocatur id, unde quid per imitationem expressum est. Unde non potest plus esse in imagine quam est in exemplari. Consonat quoque illud; non potest esse plus in accessorio, quam est in re principali. Ita non possemus Ens summe perfectum per ideam nobis repræsentare, nisi revera existeret. Hinc Jurisconsulti negant, quod minor natu maiorem adoptare possit, cum adoptio sit naturæ imago, & filius non posset per naturam maiore esse Patrem. &c.

## CAPUT XVI. De Universalibus.

**H**Aec tenus vidimus, tum Rerum, tum maxime Attributo-

torum ad claram & distinctam perceptionem facientium differentias; sed quia alia adhuc est ad eandem rem maxime conducens distinctio, quæ pariter ut supra dicta, rebus & attributis accommodari possit, de ea non sine utilitate breviter agemus, & quidem quantum fieri poterit mentem Clariss. Claub. exprimere conabimur.

2. Ad claram & distinctam perceptionem, & verum formandum iudicium conduit etiam Rem quæ examini subjicitur, considerare, an ea ad universalium, an vero ad singularium classem pertineat.

3. Maxime autem universalium cognitio mentem nostram, (si illa singularia excipias, quæ ita sunt unica ut simul causæ universales existant,) perficit, utpote quæ magis in rerum natura esse existimat, quam quidem singularia, unde

de etiam qvibusdam æterna nuncupantur.

4. Accedit, qvod singularia, nec numero nec scientia à nobis comprehendendi possint: at vere possunt universalia, in qvibus etiam singularia omnia, prout inter se conveniunt, intellectui offeruntur.

5. Hinc *scientia* non particularium, sed universalium esse perhibetur, & sapiens inter homines ille censetur, qvi omnia novit universo, non qvi multorum singularium habet experientiam.

6. Universalia autem quinque sunt, *Genus*, *Species*, *Differentia*, *Proprium*, *Accidens*, qvæ tunc in modum possunt compendiosè declarari. Idea, qvam in mente formamus, & qva utimur ad multa cogitanda, vel plura specie distincta exhibet. & sic *Genus* efficitur: Vel numero duntaxat distincta, & ita sit *Species*: Vel discriminem repræsentat,

sentat, qvō multa singularia inter se, vel ab aliis differunt, & fit *Differentia*: Vel proprietatem, qvæ illis solis competit, & *Proprium* efficitur: Aut denique contingentiam quandam, ab illorum *Essentia* separabilem; & *Accidens*, seu quinatum Universale constituitur.

7. Hoc pacto declarata Universalia, nihil aliud esse videmus, qvam diversos cogitandi modos, qvibus res eadem aliter atqve aliter a mente concipiunt & considerantur.

8. Hæc universalia iterum aliquo modo dividuntur: & primo quidem *Genus* dividitur in *summum*, & *subalternum*.

9. *Genus summum* dicitur illud, qvod nullum supra se genus habet. *Subalternum*; qvod inter genus supremum, & speciem insimilam interjicitur: seu qvod respectu sup-

pe-

periorum est species, respectu vero  
inferiorum vocatur genus.

10. Secundum Universale Species  
est itidem communiter duplex re-  
censetur. Infima & Media. Infima  
seu specialissima est, quae de individuis  
immediate predicitur. Ut Homo de  
Petro dicitur. Infima quia nullam  
infra se speciem habet, sed sola in-  
dividua. Unde quibusdam defi-  
nitur. Quae de pluribus numero du-  
taxat differentibus, in questione, qua  
queritur, quid sit res, predicitur.

II. Media seu Interjecta est, qua  
inter summum genus & infimam  
speciem interjecta, respectu infe-  
riorum est genus, respectu superi-  
orum species. Sic *Bella* est specie-  
s *Animalium*, at vero respectu *Canis &*  
*Ursi* est Genus, quae in quantum certam  
predicabile, hoc pacto definitur. Quis  
in qua te quid de specie, a de iis, qui  
sub illa continentur, predicitur;

11. Tertium Universale Differen-  
tia

tia itidem multis modis considera-  
ri potest. Primo ut constitutiva &  
definiri potest, Id, quo species genus  
excedit. Secundo ut quid *Predicabi-*  
*le*, Tertiò quatenus genus in specie-  
s varias dividit. Ut laterum æ-  
qualitas Triangulum æquilate-  
rum constituit, & trianguli ideam  
antea communem, ad certam spe-  
ciam determinat. Quatenus est  
pars essentialis totius *Compositi*;  
& tunc illius essentiam ingreditur,  
& ad illius definitionem pertinet.

13. Quartum Universale Propri-  
um, etiam quadrupliciter sumitur.  
Primo, Qvod soli, non tamen omni,  
hoc est, singulis individuis conve-  
nit: Sic musicum esse convenit homini,  
sed non omni. Secundo quod omni  
quidem individuo, sed non soli speciei  
convenit: ut esse bipedem homini  
convenit. Tertiò Qvod soli speciei  
& omni individuo, sed non semper con-  
venit: ut homini actu loqui con-

P venit.

venit. Quartò Qvad soli omni & semper convenit, ut homini convenit potentia loquendi. Sic omni circulo soli & semper proprium, qvòd omnes linea à centro ductæ ad circumferentiam sint æquales, & hoc proprie constituit quartum universale: tria præcedentia pertinent ad *Accidens*.

14. Superest tamen adhuc alia divisio Quinti Universalis, Accidentis nempe, inseparabile & in Inseparabile. Separabile, qvod facile à re abstrahi potest, ut *sedet ab homine*. Inseparabile, qvod à re cui inest, naturaliter abstrahi nequit, ut nigror ab *Ethiope*.

15. *Accidens inseparabile* differt à Proprio: qvia illud potest cogitatione à subiecto suo cui inest separari; at proprium neutiquam. Sed de his qui fusiorē cognitionem desiderat, adeat Antoniū le Grand, & Logic. nostri Claub.

16. Ha-

16. Habet autem hæc Universaliū consideratio suum usum in clara & distincta perceptione: Generatim enim admonet, ut ea qvæ rei essentiam constituunt, ab iis qvæ eam conseqvuntur, diligenter secernamus, atqve in his cujusque propria, & accidentia dignoscamus,

17. Attributa essentiam constituentia, si sint *Singularia*, clarioris perceptionis gratia examinare possumus, sub qva specie collocantur, qvæ genera habeant, ad supremum usq; ascendendo;

18. Qvod si autem Universalia sint, distinctioris notitiæ causâ inquirere convenit, qvas contineat differentias, qvas species, ad individua usq; descendendo.

19. Si rei naturam, in qvō constat velis cognoscere, ex Universalibus, primo considerabis *genus proximum*, nam eo percipitur quid res

P 2 cum

cum aliis maxime cognatis rebus  
commune habeat; deinde qvæ  
res differentiam, qva percipitur,  
qvomodo res a maxime vicinis di-  
stingvatur.

20. Qvæ duo conjuncta Defini-  
tionem rei tibi exhibebunt, qvæ  
declarabit qvid res sit eritqve hæc  
definitio nec latior definito, nec an-  
gustior, sed ei adæqvata.

21. His jam ita traditis adjicien-  
da est tertia pars Regulæ prima  
Cartesianaæ: Nam, qvamvis perce-  
ptio cuiusvis rei, tanto clarior, &  
perfectior sit, qvo plures partes,  
causas, pluraq; adjuncta rei idea-  
eius repræsentati cavendum nihil  
ominus est, ne amplius judicemus aut  
concludamus, qvam qvod rationi pate-  
at, sive qvod menti attendenti præsens  
sit & apertum.

22. Ova pars regulæ non pau-  
cioribus modis, qvam duæ præce-  
dentes, violari vulgo solet.

23. Pri-

23. Primus violationis modus est,  
qvanlo rem obscure & confusè tantum  
percepimus & tamen judicamus tan-  
quam de re clarè & distinctè percepta.  
Ita multi audacter pronunciant  
de re qvam vix primoribus labris  
degustârunt. Exempla omitto,  
qvia sunt odiosa.

24. Secundus modus est, quando,  
ratione r tantum probabilem perce-  
pit, si nūm concludere vult rem necessario  
nascere habere. Longe aliter est phi-  
losophatus Cartesius noster, ut vi-  
dere est Medit. sexta pag. mihi 37.  
ubi ex imaginatione, corporis ex-  
istentiam videtur deducere. Et  
qvia locus ille maxime est illuſtris,  
eum hic annotare non gravabi-  
mur.

25. Verba Authoris sic se habent:  
Facile, inqvam, intelligo imagina-  
tionem ita perfici posse, siqvidem  
corpus existat; & qvia nullus ali-  
us modus æque conveniens occur-  
rit

P. 3

rit ad illam explicandam, probabiliter inde conjicio corpus existere, sed probabiliter tantum, & qvamvis accurate omnia investigem, nondum tamen video ex ea naturæ corporeæ idea distincta, qvam in imaginatione mea invenio, ullum sumi posse argumentum, quod necessario concludat aliquod corpus existere.

26. Sensus verborum Cartesii hic est: Postqvam in hac ipsa meditatione in initio differentiam puri intellectus, atqve imaginatio-ris perspexisset, progreditur ad probationem qvomodo ex imaginandi facultate seqvatur, res corporeas existere:

27. Nempe considerat eam imaginandi facultatem, qvam in se esse experiebatur, dum eam exercet, qvatenus ab intelligendi facultate distinguitur, ad sui ipsius, hoc est, Mentis suæ naturam non requiri.

28. Po-

28. Poterat enim se, tanquam rem cogitantem, clare distincteque intelligere, exclusa omni, qvæ ipsi inerat, vi imaginandi, adeoque eandem essentiam, qvam tunc habebat, sine dubio retinuisse, qvamvis illa vis à se fuisset separata.

29. Qvod si itaque vis imaginandi a deesse ipsius non reqviratur, seqvi videtur, eam ab alia re, qvæ diversam ab ejus essentia naturam habeat, promanare.

30. Nec video, inquit, qvænam res illa diversæ à mente nostra naturæ esse possit, nisi corporea seu materialis, qvam qvidem si ponamus existentem, & menti nostræ conjunctam, facile licet, qvomodo imaginatio fiat, explicare.

31. Nam, (qvasi dicat) si animus ad corpus sibi junctum velut intundum pro lubitu se applicet, potest ista ratione fieri, ut res corpo-

P 4

reas

reas nobis imaginemur, seu præsentes exhibeamus.

32. Ergo hic modus, inquit, percipiendi, quem imaginationem dicimus, in eo tantum à pura intellectione distingvetur, quod mens humana dum *intelligit*, se sola utatur, & in semetipsam quasi reflexa inspiciat aliquam ex ideis sibi inherentibus :

33. At verò dum *imaginatur*; ad corpus (cerebri aliquam partem) conversa formam aliquam in eo quasi depictam contemplatur, similem idex, seu cogitationi isti, quam intellectu ipsa tum formavit, aut per sensus accepit.

34. Ex his jam progreditur ad conclusionem, dicendo. Quod facile sic explicetur quomodo perficiatur *imaginatio*, si verum sit, corpus existere, ad quod mens dicto modo se applicet.

35. Cumq[ue] nulla alia menti oc-

cur-

currat ratio, qva æqvè commodè id possit intelligi, inde probabili satis conjectura corporis, tum ejus, quod menti nostræ conjunctum inservit ad imaginationem; tum ejus, quod per imaginationem nobis repræsentatur, existentiam colligimus.

36. Solemus autem sàpius hoc argumenti genere uti, nimirum, ut statuamus hanc aut illam rem existere, quod, nisi existere eam, concedamus, aliud quid facile convenienterque intelligi atq[ue] explicari nequeat.

37. Sed ne confidentius, qvām pro modulo perceptionis sue Cartesius aliquid asseveret, ait argumentum allatum tantum esse probabile: quantumvis enim diligenter omnia circumspiciat, nondum tamen animadvertisit, ex iis, qvæ de rebus corporeis distinctè imaginamur argumentum summè certum, seu, quod necessariò probet, corpus aliquod existe-

*re, ullum posse desumi.* Haec tenus de mente Cartesii.

38. *Tertius violationis modus, quando similitudinem percepisti, & colligis identitatem.* Ut cum Cartesii adversarius Resp. quart. pag. 129. ex eo, quod dixerit, licere nobis cogitare, *Deum quodammodo idem praestare respectu sui ipsius, quod causa efficiens respectu sui effectus inferre vult, ac si Cartesius idem esse statuisset.*

39. *Quartus modus est, si de toto judicas, & partem duntaxat percepisti.* Exemplum vide apud Cartesium, in Epist. ad Voetium initio partis tertiae, ubi adversarium in simili materia hunc in modum refutat: *Cum id scripserim (scilicet ad omnium captum non esse accommodatas) de illis peculiariter Meditacionibus, quae tantum per exiguum & omnium difficultiam Philosophiae partem continent, inferre potius debuisses, non idem de tota esse putandum.*

40. In-

40. Interim non negatur, in via quotidiana ex ungve leonem aliquando cognosci ut ajunt: & ex principio de tota actione probabiliter potest judicari. At vero methodus de qua hoc loco agitur, refertur ad judicium certum in speculatione veritatis.

41. *Quintus modus est, quando cognitionem habes claram & distinctam, neque inde infers te habere aequalitatem.*

42. Atque id semper fere faciunt Cartesii adversarii, nunquam inter apprehensionem & comprehensionem distinguentes. Exempli causa, objiciunt in Epistola Respon. ad Instantias Gassendi p. 146. *Si idea seu notio Dei in te esset, eam comprehenderes.* Ita Obiect quint. ad tertiam Meditationem §. 7. dicit adversarius de idea, Cartesium veram ideam infiniti non habere sed

P 6

fini.

finiti, qvia non comprehendit infinitum, sed finitum duntaxat:

43. Sed docuerat jam author Meditatione tertia pag. 21. in fine: ubi probat, non esse opus ad claram & distinctam ideam formandam, ut sit adæqvata, idque tot in locis repetiit, ut referre pigeat. Videantur Responsones Quintæ §. 7.

44. Sextus modus violationis est, quando id, quod cum respectu & comparatione ad alterum, tale esse intelligitur, concludit esse absolute tale.

45. Similem errorem committes, si ex conditionali effato percepto judicium tuum facias absolutum, cuius exemplum ex sacris adfert Beatus Dannhaw. idea boni interp. part. 3. sect. 3. art. 2. §. 50.

46. Septimus modus est, si ex eo quod aliquandores talis esse cognoscatur, judicemus eam semper esse talem: sive, si ex eo quod certo tempore est, judicemus de omni tempore. Sic judicavit se-

ptimus

ptimus Opponens, opiniones qvæ Cartesio aliquando fuerint dubiæ, semper debere esse dubias. Vide Respp. Septimam ad literam K. y.

47. Octavus modus est, quando ex paucis particularibus exemplis illico universalē conclusionem & regulam facimus, sive quando ex uno de pluribus, ex paucis de multis, ex multis de omnibus judicium ferimus. Et hoc est quod monet Philosophus nos ab ineunte aetate circa motum & quietem fecisse. Principio II. art. 37. Sed qvia bic versamur circa terram, cuius constitutio talis est, ut motus omnes qui prope illam fiunt, brevi sistantur, & saepe ob causas qvæ sensus nostros latent, ideo ab ineunte aetate saepe judicavimus eos motus, qui sic à causis nobis ignotis sisteantur, sua sponte desinere: Namq; proclives sumus ad illud de omnibus existimandum, quod videmur in multis esse experti; nempe illos à natura sua cessare, sive tendere ad quietem, Qvod

P 7

pro-

profecto legibus naturæ quam maximè  
adversatur; quies enim motui est con-  
traria, nihilque ad suum contrarium,  
sive ad destructionem sui ipsius, ex pro-  
pria natura ferri potest.

48. Nonus modus est, quando ex eo  
quod percipiamus nihil adesse sensibile,  
judicamus illico, omnem omnino rem  
abesse, quem scopulum evitare do-  
cuit Cartesius Principiorum part.I.  
art.73. Vide textum.

49. Decimus modus est, si id quod  
cognovimus impedire effectum aliquem,  
judicenus posse eundem producere. Hac  
de re ita Cartesius Respp. quartis  
pag.125. Nec denig, ex eo quod vis co-  
gitandi sit in infantibus sopita, in amen-  
tibus non quidem extincta, sed pertur-  
bata, putandum est illam organis corpo-  
reis ita esse affixam, ut absque iis exi-  
stere non possit: ex eo enim quod experi-  
amur saepe ab ipsis eam impediri, nullo  
modo sequitur ab iisdem produci; neque  
hoc

hoc ullà vel minima ratione probari  
potest.

50. Sic Respp. quintis p.59. Pri-  
mum hic notabo, falsum esse men-  
tem adolescere, ac debilitari cum  
corpo; nam ex eo, quod non  
tam perfecte agat in corpore in-  
fantis, quam adulti, ac saepe à vino  
aliisque rebus corporeis actiones  
ejus possint impediri, sequitur tan-  
tum illam, quamdiu est corpori ad-  
 juncta, ipso uti ut instrumento ad  
eas operationes, quibus ut pluri-  
mum occupatur, non autem per-  
fectiorem vel imperfectiorem redi-  
ti à corpore: nec melius hoc indè  
infers, quam si ex eo, quod artifex  
non rectè operetur quoties malo  
utitur instrumento, inferres ipsum  
artis suæ peritiam ab instrumenti  
bonitate nancisci.

51. Denique, ut multa paucis di-  
cam, plus judicamus quam perci-  
pimus, quoties fallaciam acciden-  
tis

tis committimus, putantes illud rei per se convenire quod per accidens tantum ei competere perceperimus.

52. Item cum à dicto secundum quid ad dictum simpliciter procedimus; & generatim quoties plus ponitur in conclusione, quam fuit in præmissis, ita ut in hac prima Cartesiana Methodi regula plerique omnes de argumentatione, aut saltem ex quæ majoris sunt momenti, contineantur.

53. Omnia autem maxime infringit, qui non solum judicat, quæ non intelligit, sed etiam condemnat & blasphemæ pronunciat,  
&c.

## CAPUT

## CAPUT XVII.

## De Regula secunda

Methodi Cartesiana; seu præcepto secundo: ut difficultates examinandæ in tot partes dividantur, quot sufficiunt ad illas commodius resolvendas.

## I.

**C**onstat ex primo Methodi præcepto ad certum de rebus judicium ferendum opus esse perceptione clara ac distincta. Ideo Cartesius tum in Meditationibus, tum in Principiorum parte prima ubique versatur, circa distingvendas ac separandas notiones claras ac distinctas ab obscuris & confusis. Exempla vide: Medit. prima pag. 13. & Medit.

dit. tertia pag. 20. Med. quarta pag.  
30. in fine.

2. Responsonibus quintis ad tertiam Meditationem, hoc ad Methodum refert, qva dignoscimus an fallamur nec ne, qvum existimamus nos aliquid clare percipere, ut *ideas* claras ab obscuris & confusis distingvamus.

3. Et minus quidem difficile est *claram* habere perceptionem; sufficit enim ut menti attendenti præsens & aperta sit.

4. At perceptionem sibi comparare *distinctam* hoc opus, hic labore est.

5. In ea namque nihil debet contineri quin sit clarum & ab omnibus aliis sejunctum ac præcsum. Ita magni alicujus doloris clarissima est perceptio, sed tamen confusa, & in prima ætate multa clare percepimus, at nulla distincte, omnisque distincta perceptio clara.

claram includit, non vice versa. Princip. parte prima, art. 45. 46. 47.

6. His igitur de causis Cartesius primo præcepto statim subjungit, illud, qvod agit de *distinguendis* ac *dividendis* rebus percipiendis.

7. Cujus præcepti necessitas vel inde patet, qvod mens nostra ex sua natura non per unam aut simplicem actionem, ut Divina, sed per multas ac distinctas operetur. Princ. part. prima art. 23.

8. Nempe Deus uno conceptu exhaustit rerum plenitudinem, adeoque una ejus est scientia, qva nutrit omnia.

9. Nos alia discimus per *Metaphysicam*, alia per *Mathesin*, alia per *Logicam*, &c. & ita varias constituiimus disciplinas, a quæ ea etiam quæ in unaquaq; sectanda sunt, in plurimas conceptuum partes segregamus, ut in axiome laudato,

to, quod perfectioni deest singulorum, in multis numero compensatur.

10. Sic docent Arithmeticci, ubi plures occurrant numerorum figuræ, ut facilior eorum reddatur, enunciatio, totam illarum seriem in certas periodos & membra esse distingvendam. Insuper ostendunt majorem esse facilitatem in enumeratione, qvæ sit per partes, quod parvos numeros facilius quam magnos numeramus, unde versus:

*Quod per tota ne quis, per partes discere debes.*

11. Sed hæc prior tantum pars est regulæ, ut difficultates, qvæ exanimuntur sumus, in partes distingvamus:

12. At posterior non minus, immo multo magis annotanda, qvæ regulæ alias generaliori atqve indefinitæ modum ac mensuram ponit, ut difficultates dividamus in tot partes

quot

quot expedit ad illas commodius resolvendas.

13. Qvoniam enim divisio omnis ad id comparata est, ut meliori ac facilitiore eorum, qvæ tota difficilius comprehenduntur, cognitioni inserviat, non debet utique determinatus partium dividentium numerus, à quo defletere non liceat, a recta Methodo præscribi;

14. Verum extendendus aut contrahendus est partium numerus, pro difficultatis cuiusq; resolvendæ commoditate.

15. Divisio autem est duplex, *Realis & Mentalis.*

16. *Realis* est, qva Totum revere in partes distribuitur: ut Domus, in tectum, parietes, & fundatum.

17. *Mentalis* est, qva Totum aliquod, solius intellectus beneficio partimur. Ut cum in DEO Bonitatem

tatem, Omnipotentiam, Æternitatem consideramus.

18. Unde non seqvitur, rem quam in partes mente distribui-  
mus, esse Compositam, ac divisibili-  
lem, sed solum, Conceptum no-  
strum esse compositum. Sic qvan-  
do palmas in re mensuranda mul-  
tiplicamus, non seqvitur ideo rem  
multiplicari, aut dividi &c.

19. Utraque hæc divisio iterum  
multiplex esse potest, pro triplici  
genere Totius & Partium.

20. Alia est, *Totius generis in suis species inferiores*; aut ipsius speciei  
in Individua sibi subjecta: ut Di-  
visio substantiae in Mentem & Cor-  
pus; Mentis in Angelum & Men-  
tem humanam.

21. Alia est, *Totius integrati in partes suas*; qvæ proprie partio ap-  
pellatur. Ut Divisio Corporis hu-  
mani, in caput, pedem, manus,  
brachia.

22. Alia

22. Alia denique *Totius Essentialis in partes essentiales*, ut Divisio Ho-  
minis in Mentem & Corpus.

23. Ut autem Divisio legitima-  
dici possit; reqviritur Primo ut o-  
mnia membra, & singula rite enu-  
merentur, adeo ut, membra divi-  
denta totum divisum exhaustant,  
ut supra vidimus.

24. Secundò ut utraqve pars di-  
visionis, *quantum licet* positivis no-  
minibus exprimatur. Enimvero  
rei attributa, melius ex terminis  
positivis, quam negativis intelli-  
guntur.

25. Addimus autem, *quantum*  
*licet*, nam aliquando usu venit, ut  
res positiva, positivo careat nomi-  
ne, adeoque cogamur negativo in  
Divisione uti, ut cum Animal di-  
vidimus in *Rationale* & *Irrationale*.  
Substantiam in *Materiale* & *Imma-  
teriale*.

26. Tertiò, ut Totum in partes  
pro-

proximas & viciniores distribuantur. &c.

27. Hucusq; se extendit regulæ cum explicatio, tum probatio; sequitur ut investigemus, qvot & qvibus modis à veri studiosis observari, ab aliis negligi soleat.

28. Exempla à Cartesio observata regulae reperiuntur Princip. part. II. art. 41. Item Diopt. II. art. I. 4. nec non Principiorum part. IV. art. 9. 10. 11. 12. 13. & seqq. unum instar omnium vide Responsionib. sextis §. 9. textus sic habet.

29. Ut recte advertamus, quenam sit sensus certitudo, tres quasi gradus in ipso sunt distingvendi. Ad Primum pertinet tantum illud quo immediatè afficitur organum corporeum ab objectis externis, qvodq; nihil aliud esse potest quam motus particularum istius organi, & figuræ ac situs mutatio ex illo motu procedens.

Secundus continet id omne qvod  
imme-

immediate resultat in mente ex eo, qvod organo corporeo sic affecto unita sit, talesq; sunt percepciones doloris, titillationis, situs, famis, colorum, soni, saporis, odoris, caloris, frigoris, & similius, qvas oriri ex unione ac quasi permissione mentis cum corpore in sexta Meditacione dictum est.

Tertius deniq; comprehendit omnia illa judicia, que occasione motuum organi corporei de rebus extra nos positis ab inerte etate facere consuevimus. Sc. Ubi vides à Philosopho nostro accuratissime distingvi tres gradus sensus, cum vulgo de sensibus tam confuse differatur.

30. Violatur hæc regula primo, si multa instar unius apprehendamus, de qvo Cartesius circa finem sextis Responsionibus pag. 168. ubi inquit: *A prima infantia mentem & corpus (ex qvibus scilicet me compositum esse confusè advertebam) tanquam nūnum quid concepi.*

Q

31. Con-

31. Contigit autem id ferè in omni imperfecta cognitione, ut multa simul instar unius apprehendantur, quæ postea per accuratius examen sunt distingvenda.

32. Sic plurimi adhuc hodie imaginationem & intellectiōnēm pro uno eodemque sumunt.

33. Violatur secundò hæc regula, si quæ separatim cognoscenda sunt, non separantur. Exempla ubi vis obvia sunt apud Peripateticos, ut & alios novatores.

34. Tertiò, si plures quæstiones tractentur, perinde ac si una esset, unde fallacia plurium interrogationum, apud hodiernos vulgaris.

35. Tales erant secundi Opponentis Cartesii, duas quæstiones confundentes, quarum una erat, an possimus ideam formare summientis si non existeret; altera, an possimus illam ideam formare, si sumnum ens existere nesciremus.

Re-

Respondet igitur Cartesius Responsione secunda pag. 70. distinguendo illas quæstiones; concedo inquit ipsam posse formari, licet ens summum existere nesciremus, sed nego, si revera non existeret. &c.

36. Sic adversarii semper confundunt quæstionem, an clare & distincte Deus cognoscatur, cum quæstione, an cognoscatur perfectè & adæquatè.

37. Quartò quando committitur fallacia compositionis, hoc est, cum ea conjunguntur, quæ erant segregata. Exempla passim occurunt. Vide inter alia Epistolam Cartesii ad Voetium part. 3. &c.

38. Qvinto si quid tantum incommuni & per regulam cognoscatur, non per species & exemplar. Divisionis enim lex non solum respicit distributionem, quæ est totius integrati in partes integrantes, (cujus

Q 2

ex-

exemplum supra habuimus in  
Mundo.)

39. Vel quæ est totius essentialis  
(cujus exemplum habuimus in di-  
stinctione Animæ & Corporis.)

40. Sed etiam eam, quæ est toti-  
us universalis in partes subjecti-  
vas, hoc est, quæ est generis in spe-  
cies, speciei in individua. His  
terminis utor propter eos, qui Lo-  
gicam vulgarem tenent, ut ex iis  
quid factu opus sit percipient.

41. Hinc Cartesio nostro famili-  
are est, sub exemplis regulas gene-  
ralissimas proponere, ut Med. sext.  
pag. 41.

42. Sexto, si rem aliquam singula-  
rem, quæ multa vel altu, vel virtute tan-  
tum coninnet, velimur tam simul intel-  
ligere. Sic negat Cartesius in pri-  
ma Responfione pag. 59. ab iis di-  
stincte Deum posse cognosci, qui  
torum simul conantur animo  
com-

complecti, & non potius ad singu-  
las ejus perfectiones attendunt &c.

43. Septimo, si naturam rei defini-  
tione evolutam non attendamus, sed o-  
missa tali evolutione confusè eam aspi-  
ciamus.

44. Definitio enim distinctè &  
per partes exhibet, quod in defini-  
to involutum latet. Ideo Philo-  
sophus, ubi cunque distincta atten-  
tione opus, solet per partes natu-  
ram evolvere atque quaestioni quid  
est satisfacere, aut pro uno termino  
plures ponere, aut unum per plu-  
res definiendo explicare.

45. Exempli gratia, Meditatio-  
ne secunda pag. 10. per partes de-  
clarat, quomodo naturam homi-  
nis, naturam animæ, naturam cor-  
poris olim percepit.

46. Sic etiam, solet pro uno plu-  
res usurpare terminos, ut ibidem,  
Med. secunda pag. 11. Quid igitur  
sum? res cogitans, quid est hoc? nempe

*dubitans, intelligens, affirmans, negans,  
volens, nolens, imaginans quoque, &  
sentiens.*

47. Sic Meditatione tertia p. 21.  
*Dei nomine intelligo substantiam quam  
dam infinitam, perfectam, id est, inde-  
pendentem, summe intelligentem, sum-  
me potentem &c.*

48. Octavò, *Si peccemus in excessu  
nimis dividendo: Bene quippe dixit  
Seneca: idem vitii habet nimis  
quod nulla divisio, simile enim  
confuso est quod in pulverem usq  
fatum est.*

49. Unde etiam jure Kecker-  
mannus hac in parte à doctioribus  
reprehenditur, inter alios à Clariss.  
Francone Burgersdicio, in elegan-  
ti præfatione Institutionum Logi-  
carum: *Ingens, inquit, illa subdivi-  
sionum multitudine, ex qua laudem affe-  
ctasse videatur, dissentibus nimis quam  
molestia, rerum intelligentiam plurimum  
impedit.*

50. Lau.

50. Laudandus adeoque hac in  
parte etiam est Philosophus noster,  
in cuius scriptis revera nuspia,  
quamvis attentus lector fuerit si-  
mile vitium deprehendet. Con-  
tra intelliget ex fine Notarum in  
Programma Regii, Cartesium mag-  
is quam quemquam alium à su-  
pervacanea entitatum Scholasti-  
carum suppellectile esse alienum,  
hoc est, eum non multiplicare sine  
necessitate distinctiones, neque  
nimium trahendo & abstrahendo,  
ut Scholastici Metaphysici solent  
tenues rerum funiculos rumpere,  
quoniam non distinctior sit concepsus ex  
eo, quod pauciora in eo comprehenda-  
mus, sed tantum ex eo, quod illa, quæ in  
ipso comprehendimus, ab omnibus aliis  
accurate distingvamus. Principio:  
part. I. art. 63.

51. Unde violatur Nono, secun-  
dum Methodi præceptum, si par-  
tes in quas difficultates, sunt reso-

Q 4

lutæ,

luteæ, non accurate distingvantur, qvod vulgo sic efferrri consuevit: *Partes divisionis sunt inter se dissimilares ab aliis; Partes inter se debent opponi.*

52. Atque hoc ipsa distinctæ perceptionis descriptio requirit. Distinctæ enim perceptio: ea est, qvæ cum clara sit, ab omnibus aliis ita sejuncta est & præcisa, ut nihil plane aliud, qvam qvod clarum est, in se contineat. Princ. I. 45.

53. Huc quoque reduci potest error, qvando substantia & accidentis, sive attributum, vel modus non accurate distingvuntur. NB. Vide Princ. I. 55. Vel etiam si attributa unius rei non accurate distingvuntur ab attributis rei oppositæ. Vide Princ. I. 54.

54. Violatur Decimo hæc nostra regula: Si Ramistico more dichotomias sectemur, aut cum aliis scrupulose nimis trichotomias affecte-

fectemus. Semper enim attendendum, qvid patiatur natura rei, seu difficultas examinanda, qvod Cartesius exprimere voluit per verba, in tota particulas, qvot fieri potest.

## CAPUT XVIII. De Regula Tertia Logicæ Cartesianæ.

I.  
**U**T Cogitationes omnes in quaeranda veritate certo semper ordine promoteantur, incipiendo scilicet à rebus simplicissimis & cognitu facillimis, ut paulatim & quasi per gradus ad difficiliorum & magis compositarum cognitionem ascendamus; in aliquem etiam ordinem ea disponendo, quæ se mutuo ex natura sua non precedunt.

2. Sicque à dividendi præcepto

*Q*s recta

recta provehimur ad præceptum ordinandi.

3. Namque Mens nostra, qvæ in multitudine rerum facile confundi solet, postqvam in multa divisi thema propositum, statim de ordine cogitare debet, qvo & inchoandi & progrediendi modum teneat eum, qvi ad conseqvendam rerum diversarum notitiam est aptissimus.

4. Ordinis encomia ex optimis authoribus colligere longum nimis foret, longe enim plurima sunt. Sufficiat unus Scaligeri locus Exercit. 2. Ordine nihil vel in animo vel in opere sapientis admirabilius est.

5. Alter locus est Schönborneri ex præfatione Politicæ: doctrina si ne ordine non admodum dissimilis mibi videtur corpori mente vacuo: sicut enim corpus inutile pondus est, nisi menit regatur, sic doctrina citra ordinem rhi-

dis indigestaque moles. Nam scire, qv id facias doceasque, nescire autem, qvæ ordine illud fiat, non est perfecta cognitionis.

6. Cartesianum præceptum de Ordine generatim vult, ut cogitationes omnes qvas veritati qværendæ impendimus, certo semper ordine promoteamus.

7. Hoc speciatim declarat ponendo primo à qvo incipiendum: è rebus nimirum simplicissimi & cognitu facillimis, qvæ duo conjungenda sunt, ut in præcepto præcedente, ubi diximus, ut res in toti partes qvot fieri posset, & qvot facere, expidere, dividatur.

8. Secundò progressum indicando vocibus: paulatim, & quasi per gradus ascendendo.

9. Tertio indicat terminum, ad qvem pervenitur verbis: ad difficiliorum & magis compositarum cognitionem.

10. Hic ordo dicitur Logicis Naturalis, & quidem in specie syntheticus seu compositivus, qui maximè observatur in disciplinis speculativis, ad quas etiam Cartesius his regulis instructus se contulit.

11. Sed tamen observatur idem, in artibus & disciplinis quoque practicis, ubi faciendi instrumenta, & agendi media investigantur. Finis enim in illis non investigatur, sed ut notus presupponitur. Philosophus vero hic ordinem inquisitionis & inventionis tantum prescribit.

12. De Ordine Arbitrario hæc verba adduntur: *iu aliquid etiam ordinem illas mem e disponendo, quæ se mutuò ex natura sua non procedunt.*

13. Illustris hujus rei specimen habemus in Cartesio, ut quando Principiorum parte tertia art. 114. turbinis motum confert cum motu Planetæ; art. 30. aquarum vorti-

ces cum cœlo Planetarum. art. 60. & præcedentibus, lapidem in funda vel globulum in canali cum globulis secundi elementi, art. 75. ampullam vitream cum Sole art. 94. 96. Spumam cum solis maculis; & generaliter Principiorum parte quarta, artificialia cum naturalibus.

14. Sic ubique observantissimus fuit Philosophus ordinis hic præscripti. In studio enim Mathematico incipit à facilimis, in experimentis observandis attendit prius ad obvia quam rariora & abstrusa. art. 15.

In prima Philosophia incipit à rebus simplicissimis, & inventu facilimis, Mente sua & Deo; his cognitis quantum sufficiebat ad Philosophiæ jacienda fundamenta, perrexit ad res magis compostas, quales sunt corporeæ, de quibus in Physicis, ubi primo Materi-

am simpliciter atq; indefinite considerat,

16. Deinde Motum contemplatur, à qvo omnis materiæ variatio sive omnium ejus formarum diversitas proficiscitur, Principiorum parte secunda, art. 23.

17. A generali Physica ad specialem progressus, incipit ab iis qvæ maxime universalia sunt. Principiorum parte tertia art. 1. hoc est, qvæ latissime per universum se extendunt, suntq; partes mundi ad spectabiles potiores & majores, ac proinde inventu faciliores, ut Cœlum, & Stellæ, Sol, Cometae & Planetæ, Terra, Aqva, Aer, Ignis, Magnes, Principiorum parte quarta art. 133.

18. Sic per gradus progreditur, quando à dubitatione & interrogatione, procedit ad assertionem. Vide Meditationem secundam paulo post initium, item Medit. tertiam

post

post initium. &c. Sed omnia ordinis exempla recensere, esset integrum Philosophiam transcribere, ideoq; audiamus unicum tantum, qvid Philosophus circa finem secundarum Responcionum p. 82. de ordine Meditationum, in quibus multo fuit, quam in reliquis scriptis accuratior, ex vero proficitur.

19. Duas res, inquit, in modo scribendi Geometrico distingvo, ordinem, scilicet & rationem demonstrandi. Ordo in eo tantum consistit, quod ea qvæ prima proponuntur absque ulla sequentium ope debeant cognosci, & reliquæ deinde omnia ita disponi ut expressedentibus solis demonstrentur.

20. Argue proposito, inquit, ulterius, hunc ordinem quam accuratissime in Meditationibus meis seqvi conatus sum: ejusq; observatio fuit in causa, cur de distinctione Menti à corpore non in secunda, sed demum in sexta Medicatio-

ne

*ne tractarim, atque alia multa volens  
& sciens omiserim, quia plurimum rerum  
explicationem requirebant.*

21. Qui jam hunc Philosophandi ordinem intellexerit, neutrumquam mirabitur, quando Philosophum sribentem legit, *nescio &c.* de re, quam sine omni dubio optimè sciebat. item quando Meditatione tertia pag. 16. legit, nec quidem adhuc satis sciam utrum sit aliquis Deus &c. & in fine Meditationis quintæ, priusquam illum nempè Deum nossem &c. Satis enim illi, nisi adversarius ordinis hujus per imbecillitatem intellectus, aut perversitatem voluntatis manere velit, manifestum erit, hæc & quæ sunt hujusmodi, intelligenda esse respectu hujus in Philosophando ordinis.

22. Sed jam quasi per saturam videamus, quibus modis Cartesia-

*nx Methodi & veri ordinis regula à plurimis violari conveverit.*

23. Primò violat is hanc ordinis regulam, qui in veritate quærenda, vagis indulget cogitationibus & fortuitis. Ita fecere multi Veterum, unde magna ex parte factum, ut rationes eorum inter se non cohærent.

24. Exempli gratia: Democritus, varia quidem corpuscula imaginabatur, varias figuræ, magnitudines, & motus habentia, ex quorum coacervatione mutuisque concursibus, omnia sensibilia corpora exsurerent; at vero illa corpuscula indivisibilia supponebat, deinde vacuum circa ipsa esse fingebat, tertio gravitatem iisdem tribuebat, cum tamen nullum in eo spectari debeat, cum solum spectatur, sed tantum quatenus ab aliorum corporum situ & motu dependet, atque ad illa refertur, denique

qve non ostendebat, qvo pactores singulæ, ex solo corpusculorum concursu orirentur, vel si de aliis qvibus id ostendebat, non omnes ejus rationes inter se cohærebant; &c.

25. Similis illorum etiam estratio, qvi sub initio studiorum, in legendis bonis authoribus levissimo saltu ab uno ad alium transvolant, nulli insistunt.

26. Secundò violant hunc ordinem ii, qvi sponte occurrentia negligentes recondita tantum remantur. Sunt enim qvi solas rariates qværunt, qvæ ante pedes sunt negligendo, qvibus longè recessius objici posset, qvam Thalei, Tracensis ancillæ dicterium, qvod qvæ in Cœlo sunt per videre contendentes, qvæ proxima & ad pedes, non videant.

27. Neqve enim fieri potest qvin in foveas errorum subinde cadant, dum

dum omissis iis qvæ menti propinquiora sunt, remotiora solum ac difficilia venantur.

28. Hinc Bacon de Verulamio lib. 2. de augm. scientiarum Cap. 2. inquit: *Quod p̄fīnum est, in hoc genere semper negliguntur, & rejiciuntur experimenta in ar. ibus singulis familiaria & vulgata, quæ tamen ad interpretationem natura, & qvæ aut plus faciunt, quam minus trita.*

*Nam labes qvædam literis aspergi vindetur, si forte viri dotti se submitant inquisitioni aut observationi rerum mechanicarum; nisi fuerit earum, quæ pro arcanis artis, aut pro rebus admodum raris aut subtilibus reputentur.*

29. Tertiò ordinem infringunt qvi in veritatis inquisitione non omnium primo incipiunt à particularibus: qvo nomine arguit Gassendum Cartesius in Epistola ad Instantias pag. 143. in fine, inquiens: *præcipitus istius auctoris in hac*

bac materia error hic est, quod enunciationum particularium cognitionem semper ex universalibus, secundum syllogismorum Dialectices ordinem, deducendam esse supponat.

*Quia in re se quomodo veritas indaganda sit ignorare prodit. Constat enim inter omnes Philosophos ad eam inveniendam initium semper à notioribus particularibus fieri debere, ut postea ad universale accedatur, quamvis etiam reciprocè, Universalibus inventis aliæ particulares inde deduci queant.*

Ita si puer in Geometriæ elementis sit instituendus, hoc principium generale. Si ab æquilibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia, aut, Totum singulis suis partibus majus est, non capiet, nisi particularibus exemplis illustretur.

30. Deinde addit Cartesius; Ad quod cum non attenderis Gassendus in tot paralogismos incidit quibus libri sui

molem

molem auxit. Passim enim falsas majores fixit, easque nibi tribuit, quasi veritates, quas explicui, inde deduxisem.

31. Quartò ordinem violat, qui rem prius nominat, quam cognovit, ut populus fecit dicendi magister, unde vocabula plerumque non respondent rebus. Contra Cartesius hunc ordinem tenet, ut rem prius exploret, deinde nominet. Vide Meditationem secundam pag. II. de Mente. &c

32. Quinto qui formam prius considerat, quam materiam cui illa inest, contra quam fecit Cartesius parte secunda Principiorum, & Meditatione tertia pag. 16. Ordovideatur exigere, ut prius omnes meas cogitationes in certa genera distribuam (quod pertinet ad materiam) & in quibusnam ex illis veritas aut falsitas proprie consistat inquiram (quod pertinet ad formam).

33. Hinc

33. Hinc etiam Comenius Methodo Novissima Cap 7. §. II. Vulgata Lingvarum methodi secundum peccatum asserit, quod tirones à principio statim in multiplices impelluntur salebras; Grammaticales intelligo tricas. A formalis enim potius, quam à materiali, Latinitatis structuram auspicari, solenni Scholarum more receptum est. &c.

34. Sextò qvi non inqvirit pauca ante multa, brevia ante prolixa, partes ante totum. Adscribam verba Theophili JCti ex Institutib⁹ lib. I. tit. I. Maxime, inquit, videtur ea (jura populi Romani) com mode tradi posse: si primo facilis & simplici via, post deinde exactissima diligentissimaque interpretatione exsequatur. Alioquin si statim in ipsis initius primordiisq; rudes & infirmas adolescentum aures multitudine ac varietate rerum oneraverimus: duorum alterum, aut desertores hujus studii efficiemus,

mus, aut cum magno labore, sepe etiam cum diffidentia, quæ plerumque juvenes avertit, serius ad ea perducemus, ad quæ leviori via deducti, sine labore, & bona cum spe maturius perduci possent.

35. Septimò, qvi circa irregularia & anomalias verlantur, anteqvam cognoverit regularia & analogia: verbi gratia, in Grammaticis vocum declinationibus & conjugationibus.

36. Octavò qvi saltum facit in dividendo, hoc est, qvi non gradatim dividit in partes & species primum proximas, deinde remotiores, donec tandem veniat ad ultimas.

37. Non ordinis ignarus est, qvi ubi de re agitur, omnia statim quærit uno loco, neqve ad suas sedes refert singula.  
&c.

## CAPUT XIX.

De quarta Methodi  
Cartesianæ regula

qvæ est:

Ut tum in quærendis mediis,  
tum in difficultatum partibus  
percurrendis, tam perfecte sin-  
gula enumerentur, & ad omnia  
circumspiciatur, ut nihil  
omitti simus certi.

**D**E rebus non esse judicium  
ferendum, nisi perceptu  
prius fuerint præceptum  
Methodi *primum* voluit; quoniam  
vero in rebus percipiendis difficul-  
tates intellectui objiciuntur, eas  
facilioris resolutionis ergo plu-  
res in partes dividere docuit *secun-*  
*dum*;

2. Et

## LOGICÆ CARTESIANÆ 385

2. Et quia in multitudine ierum  
divisarum pronus est ad confusio-  
nem lapsus, ordinem monstravit  
præceptum *tertium*:

3. Sed quia non sufficit divisas  
partes recte ordinare, nisi insuper  
earum numerum ad æquare, ac ne  
ulla ex iis omittatur cavere stude-  
mus, ea propter Philosophus noster  
præceptum *quartum* de perfecta  
omnium & singulorum enumera-  
tione præcedentibus annexit.

4. Peccatur in hoc præceptum,  
primò, si pars aliqua in divisione  
omittatur: quo nomine Cartesius  
noster carpit Regium in Notis ad  
Programma ejus pag. 188. ubi dicit:  
Regium inter species perceptionis  
non numerare nisi sensum, remi-  
niscentiam, & imaginationem:  
Unde colligi potest, eum nullam  
intellectionem, puram, hoc est, in-  
tellectionem qvæ circa nullas ima-  
gines corporeas versetur, admit-  
tere;

tere; (Confer *Introduct.* in *Logicam Aulicam Cap. VII. § 1. 2. 3. &c.*)

5. *Secundò*, qvando in definitio-  
ne pars explicans omittitur. Nam  
qvi vel genus, vel differentiam, vel  
aliqvid ad alterutrum pertinens  
prætermittit, non enumerat partes  
omnes ad definitum explicandum  
necessarias.

6. *Qvo nomine iterum notatur Regius à Cartesio initio Notarum pag. 178.* *Videtur inquit Cartesius, velle Regius, istam animam rationalem definire, sed imperfectè, genus enim omittit, quod nempe sit substantia, vel modus, vel quid aliud, solumque expone differentiam.*

7. *Tertiò*, Qvando inductio non omnia, particularia enumerat, sed instantiæ & exceptioni obnoxia est, Vide exemplum in Cartesio *Responsonibus sextis p. 156.*

8. *Quartò*, qvando fallacia di-  
visionis committitur citatione di-

Eti

Eti alicujus mutilata, qva nihil magis familiare est adversariis in verbis Cartesii citandis.

9. *Quintò*, qvando non omnia circumspicit, qvi aliquem duntaxat authoris locum refert quasi omnia continentem, omissis reliquis eodem pertinentibus Exemplum vide *Responsonibus quintis*, ad *quintam Meditationem* initio contra Gassendum.

10. *Sextò*, violatur quartum Methodi præceptum, si qvid necessarium doctrinæ deest, quem defectum variis in locis notavit Cartesius. Vid. *Dioptica VII. i. ibid. 23. Principiorum parte tertia art. 86. 138. 152. &c.*

11. *Septimò*, peccant in hoc præceptum, qvi brevibus & disjunctis syllogismis omnia probare conantur, qva de re eximius exstat locus Epist. ad Voëtium parte quarta p. 22. ubi sequentia habet Cartesius:

*Neque enim, ut scias, verus ille usus rationis, in quo omnis eruditio, omnis bonamens, omnis humana sapientia continentur, ut disjunctis syllogismis consistat, sed tantum in circumspecta & accurata complexione eorum omnium, quae ad quaestiarum veritatum cognitionem requiruntur.*

*Et cum hæc vix unquam possint exprimi syllogismis, nisi multi simul neantur, certum est eos, qui tantum disjunctis utuntur, ferè semper aliquam partem eorum, quæ simul spectanda sunt, omittere, sicque afflescere inconsideratione ac dediscere bonam mentem.*

**12.** Octavò ex præcepto vitandæ omissionis, collendum qvoque est præceptum fugiendæ redundantiaz. Nam qui perfectè singula enumerat, is non modo nihil omittit, verum etiam nihil ponit superflui.

**13.** Perfectum quippe definitur,

cui

cui nihil deest, nihil supereft, adeo que addi nihil, nihil demi potest.

**14.** Et qvod si ad omnia circumspicere oportet, ut vult præceptum præsens, removenda sunt illa quæ nostras cogitationes ad alia avocant. Vide exemplum & similia, Diop. III. in fine, & VII. art. 19. 21. in fine.

**15.** Itaque peccatur primò, quando heterogenea & aliena scientiis immiscentur, unde lex homogeniæ in Logicis decantata.

**16.** Secundò, quando qvovis modo superflua & non necessaria traduntur, unde lex brevitatis.

**17.** Tertiò, quando in divisione ponuntur partes quæ toti non insunt neque cum eo consentiunt; vel quando partes totum excedunt unde diversi canones divisionis.

**18.** Brevitatis Philosophus noster ubique est studiosissimus, nunquam plura explicans, aut respon-

dens qvam est necesse, rejiciendo ea qvæ loco & tempori non conveniunt, verorum contractioni operam dando, controversias qvoad fieri potest fugiendo. Consule qvæ circa finem disser. de Methodo pag. 67. habet Cartesius.

19. Notabis hic autem ad præceptum Logicæ Cartesianæ quartam, plena enumeratione exacta, ne multitudine confundamur, ad præcipua qvædam capita esse revocanda omnia. Exemplum habes apud Philosophum libro de Passione art. 69.

20. Notabis quoqve, aliquando satis esse, ut sola præcipua enumeraentur, neqve imperfectam tractationem ideo censi, qvod aliqua minoris momenti, & qvæ ex traditione facile intelligantur, omissa fuerint.

21. Nam qui ex ampla segete, ad spicilegium reliquit stipulam neq; solet,

solet, neqve debet reprehensionem cuiusq; incurrere.

22. Denique notabis, præcepto nostro quarto nihil aliud mandari, qvam ut ea, qvæ examinanda & judicanda sumimus, universa enumeremus; non autem, ut nihil sit in rebus ipsis qvod intellectu non penetremus.

23. Hoc est, plena enumeratio requiritur in ordine ad judicium & capacitatem mentis nostræ, non autem in ordine ad absolutam rei naturam & omnia ejus attributa, qvæ Deus per omnipotentiam suam in ea qvæsi locare potuit. &c.

### CONSECTARIA.

1. Regulis Logicæ Cartesianæ singulis hunc in modum pertractatis, generalia qvædam consequentia colligemus.

2. Primum est de Methodi Cartesianæ gradibus & partibus: Ni-

mirum qvatuor præcepta vidimus,  
qvorum unum ex altero, posterius  
è priori, gradatim deductum fuit &  
conclusum.

3. Secundum conjectarium est de  
præceptorum illorum novitate,  
qvod non sic intelligi volo ac si  
Cartesius horum esset author,  
namqve aliud ipse asserit, dum ait  
se qvæsivisse Methodum, in qua  
qvicqvid boni est in vulgari Logi-  
ca, Analysi, Algebra, ita reperi-  
tur, ut omnibus interim earum in-  
commodis careret: selectio tamen  
horum præceptorum, & prudens à  
reliquis separatio Cartesio tan-  
qvam authori adscribi debet.

4. Tertium conjectarium est de  
Logicæ Cartesianæ præceptorum  
paucitate. Multitudinem præce-  
ptorum Scholasticæ Logicæ nimi-  
um Cartesius taxat, & ex Legum  
in Republ. constanter observata-  
rum utili paucitate suarum legum

Lo-

Logicarum paucitatem commen-  
dat. Præclarè Lipsius inter alios  
Monit. polit. lib. 2. cap. 10. Leges,  
inquit, *in Rep. ut medicamenta esse*  
*debent: atqvi nec hæc multa aut va-*  
*ria probentur; unde Plato, ubi pluri-*  
*mæ leges ibi & lites, itemque mores im-*  
*probi. Lege caput totum.*

5. Quare injurius est Author di-  
sputationes *de Logica Nobilium &*  
*Politicorum, Zittavia habite, ubi Car-*  
*tesianos accusare non veretur,*  
*qvod de veritate propositionum,*  
*ac de proportione syllogismorum*  
*plura cogitent, qvam ipsa praxis &*  
*Instrumenti utilitas reqvirat, ut*  
*alia omittam.*

6. Quartum est, de horum præ-  
ceptorum sufficientia, qvæ omni-  
bus verum inveniendi, cupidis at-  
que certam differendi viam circū-  
spicientibus, honestam progredi-  
endi aviditatem sunt facile expli-  
tura. Sed de his hactenus,

R,

CA-

## CAPUT XX.

De Judicio, seu  
Propositione.

## I.

**S**atis opinor haec tenus egimus de modo & ordine in rebus percipiendi tenendo, atque ea quæ distinctam perceptionem promovent, tum seorsim, tum coniunctim enumeravimus.

2. Vidimusque inter perceptionem & judicium hunc à recta ratione statutum ordinem nos deberi seqvi, ut semper intellectus antecedat judicium, seu ut nihil judicemus, hoc est, nihil affirmemus aut negemus, in veritatis investigatione occupati, nisi de re clare ac distinctè percepta.

3. Hincque didicimus, tum deum securum fore progressum in sci-

scientiis, cum assensus non ulterius gradum protulerit, quam evidens perceptionis veritas præluderit.

4. Videamus iam etiam paucis ipsum Judicium, seu secundam *Mentis operationem*.

5. Judicium hoc nihil est aliud quam actio *Mentis intelligentis*, plures notiones seu ideas cum voluntatis aut assensus determinacione, unientis seu sejungentis.

6. Unionem hanc notionum, Affirmationem, sejunctionem vero Negationem vulgo vocant. Ad quas duas Judicii species, omnes ejus actus reduci posse, res ipsa sat indicat.

7. Judicium est actus Voluntatis, & non, ut plurimi contendunt, Intellectus.

8. Omnes namque *Mentis nostræ* actus referuntur vel ad perceptionem, quod est Intellectus, vel

ad assensum, qvod est Voluntatis. Et quodemadmodum illud est prima Mentis operatio, ita hoc est secunda, si simplex fuerit.

9. Unde differt hic cogitandi modus, à præcedenti, quia hic non simplex rei apprehensio est, quem admodum perceptio; Sed composita in qua ut supra diximus, Affirmatio & negatio involvitur, dicitur etiam passim propositio, seu Enunciatio, quoniam per illam, Mens quid de quacunque re sentiat, proponit.

10. A nobis appellatur Judicium, quatenus hoc percipiendi modo, non nude aliquid apprehendimus, sed etiam quod sit, aut non sit, judicamus, ac decernimus.

11. Cæterum uti Judicium omne, ratione partium, seu idearum, est vel simplex, vel compositum, sic ratione nexus est vel Affirmans, vel Negans; ac denique ratione modi

con-

connexionis, vel Universale, vel Particulare, vel singulare.

12. Judicium seu Enunciatio simplex dicitur, quæ uno duntaxat subjecto & prædicato constat: ut *Magnes attrahit Ferrum*.

13. Judicium compositum est, quodpluribus subjectis, aut pluribus prædicatis, constat ut si dicatur, *Petrus & Johannes ascendebant ad horam orationis nonam*.

14. Unde talis regula de Judicio simplici & composito nascetur: *Judicij, Enunciationis, aut Propositionis simplicitas, & compositio, desumitur à Terminorum, hoc est subjecti & attributi combinatione, sive ea simplex, sive multiplex sit.*

15. Judicium affirmans, est quod ideas conjungit, Negans quod dividit. Unde de judicio Affirmatio & Negativo seqvens Regula emergit.

16. Illud Judicium affirmativum  
R 7 est,

est, in quo subiectum & attributum conjunguntur, seu consentiunt. Negativum, in quo disjunguntur, seu dissentiunt.

17. Judicium Universale astimatur è subiecto de quo judicio, si nimirum illud fuerit Universale, judicium erit de eo *universale vel generale*.

18. Notabis tamen obiter duplēm Universalitatem; Unam *Metaphysicam*, alteram *Moralem*.

19. *Metaphysica* Universalitas est, quando secundum totam extensio- nem suam, absqve exceptione sumitur: ut, omne corpus est exten- sum.

20. *Moralis* Universalitas dici- tur, qvæ exceptionem habet, in Moralibus enim tantum attendi- tur, an res ut plurimum sic se ha- beant, ut enuntiantur.

21. Talia Judicia seu propositi- ones non sunt ita generales, ut nul-

nullam patiantur exceptionem, adeoqve nihil ex illis rigorosè concludi potest, cum falsum esse possit, de hoc aut illo particulari subiecto.

22. Sunt etiam Judicia seu Propositiones Universales, qvæ dicun- tur de *generibus singulorum*, non au- tem de singulis generum. Hoc est, qvæ dicuntur de omnibus spe- ciebus sub illo genere contentis: non vero de omnibus Particulari- bus ejusdem speciei, ut cum dici- tur, qvod omnia Animalia salva- fuerint in arca Noe. &c.

23. Hinc videmus, dari gradus Judiciorum Universalium, nimi- rum ut alia magis, alia minus sint talia.

24. Sub Universalibus compre- henduntur singularia & Particu- laria.

25. Singularia dicuntur cùm, sub-

subjecta sunt singularia seu individua, ut Petrus currit. &c.

26. Particularia sunt, qvando subjectum incertum est & vagum, ut, qvidam homo currit.

27. Interdum tamen particula-re, & singulare Judicium confun-duntur, & pro uno eodemq; ha-bentur, qvia utrumq; loquitur de individuo.

28. Hic autem plurimum refert ad incorruptè atq; integrè judi-candum, investigare, ad qvod ge-nemale Judicium hæc aut illa parti-cularia revocari posint: ac vicis-sim, qvæ particularia ex hoc illo ve-generali proveniant. Vide Log. Clarissimi Claubergii quadriparti-tam.

29. Nec minus necessaria est, Universalis è particularibus inductio. Nam cum propter vitæ brevitatem, & captus nostri angustiam singu-laria omnia comprehendi neq;ve-  
ant,

ant, necesse est, ut qvorundam sin-gularium adminiculo mens ad u-niversale elevetur, atq; experimen-tis è singularium observatio-ne collectis trahatur ad acqviren-dam de his potius, qvam de aliis objectis è certis principiis sci-en-tiam.

30. Particularis ex universali col-lectio ad rationes & causas, multa q; alia in rebus particularibus atten-denda mentem nostram promo-vet, cùm illa, denum fructuosa fit scientia, qvæ rei causam generali-ter cognitam specialiter novit ap-plicare &c.

31. Sed qvaliacunque Judicia fuerint, constat ex dictis, summam eorum perfectionem, ad qvam nos aspirare decet, in eo consiste-re, ut & Vera sint, & Certa, sive pri-mùm, ut rebus sint conformia, de-inde ut nos nobis istius conformi-tatis probe simus consciit.

32. Con-

32. Consistit itaque Judicij veritas in exacta ejusdem conformitate cum re.

33. Hoc est, ut verum sit judicium, oportet ut ideas illorum attributorum quæ ipsa à parte rei connecta sunt, connectantur; vel quæ à parte rei separata sunt separantur.

34. Judicij veritati opponitur, Judicij falsitas, quæ *Error* vulgo dicitur; notatque judicium rei difforme, difforme inquam in eo, vel quod connectat ideas illorum attributorum, quæ revera divisa existunt; vel quod sejungat, ideas, quæ à parte rei unitæ existunt.

35. Qum autem ista inter rem, atque Judicium difformitas sit Error, nemo volens falsum judicium fert, quæ tale.

36. Etsi enim qui errat, volens formet judicium, quod re ipsa falsum

sum est; nunquam tamen accidit, ut volens judicet, quod falsum esse novit.

37. Hinc quisquis errat, bis, ut, ita dicam, errat: dum & ab ipsius rei veritate recedit, & oppositi persuasione semper se ipsum decipit, persuadens sibi, judicium à se formatum esse rei conforme, dum præter opinionem eidem existit, difforme.

38. Causa nihilominus Erroris, aut falsitatis à præcipiti Voluntatis consensu pendet, nimirum quod Voluntatem nostram non satis arctis limitibus coerceamus, verum illam etiam ad ea extendamus quæ revera non perfecte intelligimus.

39. Poteſt tamen etiam Intellectus noster causa erroris dici, verum Occasionalis tantum. In quantum scilicet Intellectus non nisi imperfectas & confusas rerum perceptiones habet ordinariè.

40. Nam

40. Nam quemadmodum Vi-  
sus corporalis sapius in errorem,  
nos inducit, dum externa objecta  
confuse & imperfecte repræsentat:  
Ita intellectus, cum non nisi confu-  
sam sapius habeat rerum percepti-  
onem, causa est, cur Voluntas in-  
plurimos errores prolabatur & iis  
assentiat &c.

41. Diximus supra §. 31. Judicio-  
rum perfectionem, ad quam nos  
aspirare decet, in eo consistere, ut  
& vera sint, & *Certa*.

42. Judicij Certitudo est, immota-  
mentis de ejusdem veritate persua-  
sio.

43. Nititur quandoque intrinse-  
cā Judicij ipsius necessitate, quæ  
per se, ac suā lucimenti vel leviter  
attendentī seneat ipsam manife-  
sta.

44. Et talis locum habet in pri-  
mis veritatibus, quæ inde principia  
per se nota, propositiones immedi-  
atax,

atx, Innatæ, Noëticæ, dici conve-  
verunt.

45. Aliqando fundamentum,  
ejus est argumentum quodpiam,,  
mentem ad assensum impellens:  
qualis est certitudo Conclusionum;  
vel ex natura rei, illorum principi-  
orum ope, vel testimonio aliquo  
adstructarum.

46. Atque hæc Certitudo Dia-  
noëtica est, seu acquisita per Dis-  
cursum.

47. Certitudo principiorum, atque  
conclusionum legitima seqvela in-  
de deductarum dicitur Mathematica,  
& semper absolute talis est.

48. Quæ vero testimonio hu-  
mano nititur, Moralis vocatur:  
qualis ferè est rerum ad hanc vitam  
pertinentium, eaque suos habet  
gradus.

49. Qvod si autem Mens alicui  
judicio utcunque adhæreat, pro-  
pter alicujus testimonii veri simili-  
tudi-

tudinem majorem, quam qvidem in opposita sententia reperit, dicitur ea Opinio probabilis; quæ conjunctam habet aliqualem suspicionem atq; metum contrarii.

50. Judicij certitudini opponitur, Dubitatio, plerisque tam invisa & suspecta hodie, ut variis innocentiam Philosophiam convitiis, vel solo isto nomine onerare non dubitant.

51. *Dubitatio* hæc nihil est aliud quam judicij suspensio, ut vel ipsa Etymologia vocis docet. *Dubius* enim vel *incertus* secundum Isidorum, est quasi *duarum viarum*. Sic græce ἀμφιεπτέω, quasi ἀμφισητέω per epenthesim τῆς, in utramque partem quæro, ab ἀμφις & τητέω; vel etiam ab ἀμφις & βαίω, βῆμι pro quo usitatè dicitur βαίνω, quasi in utramq; partem vado, Germanice zweifeln/quasi ad duo cadere, ex zwei & fallen &c.

52. Qyan-

52. Qvando autem dicimus dubitationem esse suspensionem Judicij, distingues inter *judicium*, axiomaticum & discursivum, atque in plena dubitatione utriusque suspensionem intellige.

53. Deinde distingue etiam *suspensionem*, quæ sit vel attendendo difficultatem propositam & rationes in utramq; partem examinando, vel non cogitando de re ulla, nec dubitandi causas considerando.

54. Prior qvidem propriè dubitatio dicitur, posterior valde impropriè.

55. Gradus quoque ac differencias dubitationis animadvertas oportet. Dubitatio enim 1. vel extendit se ad solum judicium, ut hujus sit nuda suspensio seu cohibito: vel 2. extendit se insuper ad perceptionem, ita ut nullo modo de re cogitemus, ac ne quidem confusam

fusam habeamus illius ideam animo præsentem.

56. Vel 3. se extendit simul ad iudicium & actiones vitæ: vel 4. ad iudicium, non per nudam suspensionem, sed per fictionem contrarii insuper, quando dubia supponuntur falsa sive habentur pro noncensibus.

57. Vel 5. ad negationem eorum quæ falsa fuerunt deprehensa.

58. Ex his quintum egreditur dubitationis limites, secundum vix dubitatio meretur nominari, tertium ad dubitationem Cartesianam non pertinet.

59. Notabis etiam tertio dubitationem Cartesianam, non pertinere ad omnes disciplinas ab ipso traditas, non ad Physicam, non ad Geometrica ejus scripta, imò neque ad Metaphysicam totam, multo minus

minus ad Theologiam, sed solum ad initium Metaphysices.

60. Est namque ea scientia prima & philosophiæ initium, sed ante primum philosophiæ initium, nihil esse potest in mente humana philosophice determinatū, adeo quod hoc solum spectat illa generalis iudicij suspensio.

61. Qvod autem Imprudentiores ejus adversarii, hunc dubitacionis Cartesianæ modum increpent, quasi ipse affirmaverit, licere atque adeo expedire, Deum ad tempus, & omnem ejus cognitionem ex animo expellere, mera calumnia est, & jam olim satis sunt explosæ ejusmodi accusationes.

62. Et licet Principiorum parte prima art. VII. & in Meditationibus I. & II. supponit ex Mente Atheorum nullum esse Deū, id utique Philosophus facere potuit.

63. Tunc enim ipsi incumbebat  
S ex-

existentiam Dei & Animæ demon-  
strare, adeoꝝ nec potuit, nec debu-  
it id pro concessu & demonstrato-  
sumere, qvod erat demonstratu-  
rus.

64. Cum enim in calce Syno-  
pseos Meditationum testetur, sibi  
hujus unius rei probationem in  
his meditationibus pro scopo fu-  
isse propositam, ut ostenderet rati-  
ones, qvibus in Mentis nostræ, &  
in Dei cognitionem devenimus,  
multo firmiores, magisqve perspi-  
cuas esse, qvam sunt eæ, per qvas  
probatur, esse revera aliquem mun-  
dum & homines habere corpora  
&c.

65. Ex instituto tenebatur res  
omnes corporeas tantisper sepo-  
nere, ut earum existentiâ non ute-  
retur in talibus demonstrationi-  
bus pertexendis, atqve ita de iis  
dubitare.

66. Et annon vulgo docetur  
Me-

Metaphysicam subiecta reliquis  
assignare scientiis, qvatenuis & qvid  
sint, & qvod sint in antecessum de-  
monstrat?

67. Debuit igitur Metaphysica,  
etiam Cartesiana de Physicæ alia-  
rumque scientiarum subiectis qvæ-  
stionem instituere, id est dubitare,  
priusquam certi aliquid pronunci-  
aret & constitueret.

68. Sed hoc etiam nomine ma-  
ximopere laudandus est Cartesius,  
qvod dubitantium sectam dubi-  
tando expugnaverit.

69. Unde Vir præclarus in car-  
mine, qvod RENATO DESCAR-  
TES Philosophiæ restauratori, se-  
culi ornamento scripsit, non mi-  
nus pulchrè quam vere cecinit:

Nescio quo dubitans pæcto, dubia o-  
mnia tollis,  
Atque ex non certis omnia certa  
legis.

*Certe Athene propriis cadit armis: &  
male Sextus*

*Affensum cobibens, vincitur arte  
sua.*

*Et hactenus de Judicio, & dubita-  
tione.*

## CAPUT XXI.

De Ratiocinatione  
seu Argumentatione.

1.

**E** Gimus hactenus de Judicio  
seu Propositione tanquam  
primo gressu ratiocinatio-  
nis, restat ut ipsum progressum ul-  
terius investigemus, id est, ipsam  
ratiocinationem videamus.

2. Ante omnia quid per ratioci-  
nationem intelligendum sit expo-  
nere necessarium duco:

3. Velim nihil aliud intelligi  
*quam*

## LOGICÆ CARTESIANÆ. 413

*quam cognitionem rei ignotæ acquisi-  
tam, cum rebus nobis eam comparan-  
do, ita ut si in rei ignotæ cognitio-  
nem deveniamus per factam com-  
parisonem cum aliis rebus notis,  
tum dicimus ratiocinari.*

4. Cognitio autem hoc modo  
acquisita vocatur conclusio, utpo-  
te ex præmissis collecta.

5. Consistit autem hæc collectio  
in computatione quadam, seu in  
simplici additione & subtractione  
nostrorum conceptuum.

6. Habetque similitudinem cum  
numeratione Arithmeticæ propriè  
sicut dicta, quæ è datis numeris ali-  
um adhuc ignotum inquirit.

7. Atque in hac ratiocinatione  
recta, præcipue situm est humanæ  
scientiæ vinculum, & firmamen-  
tum, quod alias nullum erit, nisi  
sciamus accurate necesse & ordi-  
nare judicia nostra omnia.

8. Differt autem hic cogitandi  
S 3 seu

seu ratiocinandi modus aperte à reliquis cogitandi modis.

9. Nam qvando mens nostra rem simpliciter percipit, tum solum illius imaginem vel ideam format.

10. Qvando autem duas aut plures imagines vel ideas in eodem concreto communi vinculo necit, tum solum judicat has ideas eidem rei convenire.

11. At vero in ratiocinatione mens ulterius progrereditur, ibi enim non sufficit unam ideam cum alia necesse, & sic efformare propositionem qvandam, sed oportet ut mens, velut in orbem acta, pri- mas notiones cum posterioribus jungat.

12. Sicqve ex dictis patet, ordinem qvendam esse observandum, ut ratiocinatio legitime procedat.

13. Videtur autem hic ordo, qvem

qvem in ratiocinatione debemus observare, simul cum ipsa ratiocinandi potestate ab ipsa natura nobis collatus esse.

14. Adeoqve è diametro ei contrarius, qvem Logica Artificialis scholastica ad inanem garrulitatem, & vanam ostentationem ex cogitavit, de qua consummatus Logicus solet gloriari, qvod nullum problema, nullaqve proposicio dari possit, de qua non possit probabiliter disputare & differere in utramqve partem.

15. Atqve sic non verentur propriam turpitudinem atqve ignorantiam profiteri.

16. Nullum namqve validius datur argumentum, quo vanitas illius Logicæ Scholasticæ magis detegatur, qvam qvod ejus regularum ope, vix aliqvid tam certum possit statui, qvin non simul in con-

trariam partem probabiliter adhuc possit disputari.

17. Cum tamen qvò subtilius & probabilius in utramqve partem ita disputatur, eo longius receditur à veritate ipsa, qvæ unica atqve simplex semper sibi constans, & serio attendenti sit manifesta, nostrum assensum etiam invitum, cogit, & semel apprehensa non amplius permittit de se dubitare, vel in contrariam partem probabiliter differere. Sed ad rem.

18. Ratiocinatio seu Argumentatio constat, ex duabus partibus, utpote præmissâ, vel *Premissis*, ex qvibus veritas colligitur; & complexione, vel *Conclusione*, qvæ ex illis elicitor.

19. In *Premissis* reqviritur, Primo *Veritas*, cum enim ex falso non sequatur verum per se, sed tantum per accidens; nec etiam ex falso semper, aut necessario verum se-

qua-

qvatur, sed contingenter tantum, ac interdum:

20. Hinc si præmissa, in qvibus veritas conclusionis unicè fundatur, falsæ fuerint, non poterimus esse certi de veritate conclusionis, sive illius propositionis, cuius certitudinem ope præmissarum nobis comparare studemus: adeoqve fine suo excidet Argumentatio, id est, veritatem non evincet.

21. Secundò, in Præmissis reqviritur, ut Veritas earum cognita fit. Eum enim in finem præmissæ adhibentur, ut earum ope cognoscatur veritas propositionis qvæ in conclusionem immutanda venit:

22. Nulla autem veritatis notitia acqviri potest ex eo qvod ignatur esse verum: ex ignoto enim si qvid concludatur, & qvæ incognitum erit id, qvod ex eo colligitur, cum causa non possit dare effectui, qvod ipsa non habet.

23. *Conclusio*, qvæ etiam *consequens*, *complexio*, & *illata propositio* dicitur, complectitur veritatem terminorum in præmissis separatim propositorum. Qvæ anteqvam esset conclusio, id est, ante factam Argumentationem, idem est qvod *Quæstio*, qvod enim ut qvæstio proponebatur ante Argumentationem factam, id per Argumentationem conclusio fit.

24. Conclusionis hujus veritas qvum colligatur, vel saltem innotescere præsupponatur ex præmissis, hinc ipsa *incognita*, vel quasi ignota est, qvamdiu conclusio non est conclusio;

25. Id est, qvamdiu conclusio ipsa *quæstio* est, qvæ tandem per Argumentationem conclusio fit.

26. Eum enim in finem data nobis est hæc argumentandi, seu Ratiocinandi facultas, ut Mens nostra, qvæ propter sui finitudinem

nem qvæstiones, aut veritates simpliciter propositas apprehendere, vel ut veras admittere primo intuitu nequit, ope præcognitæ alicujus veritatis, qvæ præmissis continetur, de earum veritate aut falsitate certior redderetur, aliosve homines de eadem convinceret.

27. Itaque ad expedite ratiocinandum opus est, ut axiomatibus, è rerum clarè distinctèque perceptarum complexione promanantibus, pluribus instruēti simus.

28. Talibus enim expendendis ac feliciter operam dantes, parata habebimus clara principia, ex quibus aliorum exquisitam scientiam deducere queamus.

29. Non tamen sufficit propositiones in promptu habere notas ac certas, ut ad alia qvælibet ratiocinando progrediamur, non enim datur à qvælibet noto ad qvodlibet

ignotum argumentationis progressus.

30. Sed reqviritur certior inter ea *nexus*, cuius vi hoc potius ex illo, qvam aliud qvid cogi possit, qvalis est verbi gratia, inter causam & effectum, genus & speciem, totum & partes.

31. Qvare etiam argumentationi cuilibet sua tribuitur consequentia, imò necessitas qvædam consequentiæ, qvæ non à cognitionis duntaxat ordine, verum à naturali insuper rerum cognoscendarum connexione pendet.

32. Unde sane multiplex argumentationis differentia enascitur, Primo pro varietate *præmissarum*, alia enim est ex contingentibus, qvæ non magni est momenti, alia ex necessariis propositionibus.

33. Secundo, pro varietate conclusionis, namqve aliagignit opinionem seu qvalem qvalem cognitionem.

tionem, qvare etiam non magni aestimanda est; alia certam & solidam parit scientiam: Alia τὸ δὲ solum ostendit seu qvod res sit; alia διότι, insuper, hoc est, cur res sit &c.

34. Tertio, pro varietate ipsius processus & collectionis, alia à causa progreditur ad effectus, alia ab effectu ad causam, alia à particularibus colligit universalia, alia ex universalibus particularia &c.

35. Differentia qvæ ab ipso collectionis modo & processu, utpote in qvo forma argumentationis consistit, desumitur, ante omnia, observatione est digna.

36. Atqve secundum hunc processum dividitur Ratiocinatio seu Argumentatio primò in eam, qvæ est *a priori*, qvæ etiam τὸ διότι dicitur, & eam qvæ *a posteriori*, qvæ etiam τὸ εἰτι: Deinde in *Syllogismum*, & *Inductionem*.

37. *Argumentatio à priori* est, quando unum attributum, quod in cogitatione nostra posterius est, colligitur ex alio ejusdem rei attributo, quod secundum distinctam nostram cognitionem prius est.

38. Fit hæc argumentatio variis modis, ut si quid probetur per proximam causam efficientem, exempli gratia, Omnes res creatas esse contingentes, quia dependent à DEO, qui est causa libere agens.

39. Vel à fine proximo, ut si probes doctrinam de attentione aut dubitatione pertinere ad Logicam, quia quam maximè dicit mentem ad rerum cognitionem.

40. Vel à definitione subjecti causam prædicati continente, ut, si probes, hominem Logicæ esse capacem, quia sit animal rationale.

41. Vel à definitione prædicati causam indicante, cur hoc tribuatur subjecto: ut, si judices, quaternarium

rium esse parem numerum, quia dividi potest in duas partes æquales citra fractionem.

42. Quid si autem probes, omne corpus quantumvis parvum, esse divisibile, quia est extensum, demonstras attributum consequens ex antecedente.

43. *Argumentatio à posteriori*, est cum per Effectum causa demonstratur. Ut cum per lucis existentiam, Solis existentia ostenditur. Cum cœlum liquidum esse ac incorruptibile probatur, ex variis rebus quæ in eo generantur: ut ex cometis, maculis solaribus, stellis quibusdam.

44. Ad hanc quoque reduci potest argumentatio, quæ fit per causam remotam, ut cum quis probat lapidem non respirare, quia non est animal, cum potius probare debebat ex eo, quia pulmone destituitur. &c.

45. Vidimus supra §. 36 argumentationem dividī etiam in eam, qvæ dicitur *Inductio & Syllogismus*, qvare ordo postulat, ut paucis jam de iis agamus.

## CAPUT XXII.

## De Inductione.

1.

**O**VONIAM Mens natura sua fertur ad generales propositiones, ex particularium cognitione deducendas, non erit in consentaneum ordinis legibus, à paucis ad multa, à simplicibus ad composita, & sic ab aliquo ad omne, à particulari ad universale procedendum esse jubentis, si prius de Inductione quam de Syllogismo agamus.

2. *Inductio est argumentatio, in  
qua*

qva ex particularibus colligitur universale, aut ex partibus deducitur totum.

3. Est hic argumentandi modus usitatissimus, utpote qvi maximè ad res Physicas cognoscendas maximum adjuvamen præbet, qvatenus per diversa experimenta multarum rerum sensibilium cognitio & fusior & perfectior acqviritur.

4. Nota autem hanc *Inductionem* Logicæ non absimilem esse *Additioni* Arithmeticæ, qvemadmodum *Syllogismus* non est absimilis *Subtractioni*.

5. Nam ut Arithmeticorum additione ex multis numeris in unum collectis, una summa conficitur, ita in Inductione ex multis singularibus, vel ex partibus generale qvoddam axioma vel proposicio componitur, qvæ propterea nihil aliud est, quam summa ex multis ideis collecta.

6. Enim-

6. Eamverò Universalia in singularibus fundantur, & ex iis resultant, eorumque natura in iis residet.

7. Sic quoque totam omnem suam essentiam à partibus habet, à quibus omnibus simul sumptis revera non distingvitur.

8. Recte adeoque à partibus ad totum, & à particularibus ad ea, quae sunt universalia procedere licet;

9. Ita, quia ego apud me experior cogitando, fieri non posse ut cogitem, nisi existam, ex eo infero: illud omne, quod cogitat, existit, & porro quicquid agit, necesse est esse. &c.

10. Sic scilicet à me ipso, res singulari, mihi notissima & proxima, incipio. At non possum è contrario ordiri ab universali hoc modo: quicquid cogitat, est, ego cogito, ergo sum: quoniam universalis illa pro-

propositio non est tam nota intellectui, quam particularis de se metipso formata, quum præsupponat existere res plures cogitantes, de quo tamen dubitare potest.

11. Adeoque Inductio differt à syllogismo; quia syllogismus non à particularibus ad universale, aut à partibus ad totum procedit, sed contra, ex universalibus, minus universale, ex toto partium, naturam colligit:

12. Unde etiam induc[t]io prior est syllogismo ut supra diximus, cum prius particularia in natura detecta fuerint, & ab iis ratio ad universalia prius ascenderit, quam ipsa ab universalibus ad singula[ria], vel minus universalia descendit.

13. Cum autem totum suam naturam non à quibusdam sui partibus habeat, sed ab omnibus simul sum-

fumptis, unde etiam ab iis omnibus simul revera non distinguitur;

14. Et Universale non à quibusdam particularibus aut singularibus constituatur, sed ab omnibus coniunctim, legitima non est induc<sup>tio</sup>, neque ex singularibus universale, neque ex partibus totum colligere valet, nisi omnia singularia, omnesque partes assumantur.

15. Unde & omnia illa in inductione recensenda speciatim sunt, vel hac, similive formula ea exprimenta, reliquorum singularium, aut partium eandem esse rationem, non dari dissimile exemplum &c.

16. Proinde evertitur induc<sup>tio</sup> quam primum aliquod exemplum in contrarium, aut quod dissimile est, adferri potest;

17. Ejusmodi dissimilis, aut con-

contrarii exempli allegatio, *Instans* dici solet.

18. Huc referri quodammodo ratio colligendi potest quæ Logicis dicitur *Exemplum*, quod est Inductio imperfecta, quæ ex uno, vel altero singulari magis cognito, colligitur aliud singulare, vel universale.

19. Sive cum ex eo, quod prædicatum aliquod unius subiecto singulari competit, colligimus idem prædicatum alii subiecto singulari, quod simile est priori competente, propter similitudinem quæ inter illa subiecta singularia intercedit.

20. Unde etiam fundamentum Exempli est regula illa, similium eadem, aut similis est ratio;

21. Exempli gratia, judicio interdum alios errare circa ea, quæ e scire arbitrantur, inde colligo, & me falli posse in iis, quæ me scire puto,

puto, cùm meus & qvè, ac illorum intellectus humanæ sit infirmitatis particeps.

22. Similiter cum exinde qvod nec Romulus, nec Cæsar socium imperii ferre potuit hunc, vel illum Imperatorem, forte Leopoldum, aut alium, socium Imperii Gallum non laturum, ob similem Imperi rationem, colligimus.

23. Cum autem natura universalis non in uno, vel altero particulari, sed in omnibus, ut supra vidimus, debeat reperiri, & aliquid uni competere possit particulari, qvod in omnibus non obtinet, ac proinde omnis similitudo claudicet, & similia dissimilitudinem admittant, exemplum plus habet momenti ad persuadendum, qvam necessitatis ad concludendum.

24. Atqve in probando exemplis uti non expedit, cum ea illustrent magis qvam probent; & eodem

dem jure, à *Defendente* rejici, qvam ab Opponente proferri possint.

## CAPUT XXIII.

### De Syllogismis.

#### I.

**S**yllogismus est argumentatio ab universali ad particulare, vel à toto ad partem.

2. Syllogismus est duplex, simplex & compositus: Simplex est, cuius propositiones singulae unico tantum subjecto, & unicopredicato constant.

3. Compositus verò, cuius vel una, vel utraqve propositio composita est ex pluribus subjectis, vel pluribus predicationis.

4. In omni syllogismo tria occurunt consideranda, *Materia*, *Forma* & *Leges*.

5. Ma-

5. Materia ejus est vel *Mediata*,  
vel *Immediata*.

6. Mediata seu remota est, ex  
qua, præsupposita alia materia pro-  
pinqviore, syllogismus fit: sunt  
que tres termini, qui pro ratione  
virtutis, & quantitatis suæ, aut pro  
diverso illo, quo funguntur mu-  
tere, etiam diversis nominibus ex-  
primuntur.

7. Unus Major, qui prædicatum  
vocatur illius questionis, quæ pro-  
banda aut refutanda proponi-  
tur.

8. Nomen suum exinde trahit,  
quod in omnibus propositionibus,  
& enunciationibus prædicatum  
latius sese extendat, & plura sub se  
comprehendat, adeoque majus sit  
quam subjectum.

9. (Excipiastamen eas proposi-  
tiones, in quibus prædicatum &  
subjectum reciprocari, vel simpli-  
citer converti possunt.)

10. Ni-

10. Nihilominus tamen in omni-  
bus enunciationibus veris, gene-  
raliter consideratis, prædicatum,  
vel latius sese extendat, vel ad mi-  
nimum tam latè, nunquam verò  
minus latè pateat, aut minus sub  
se comprehendat, quam subje-  
ctum,

11. E contra *subjectum questionis*  
propositæ vocatur *Minor terminus*:  
si enim prædicatum semper aut  
plus sub se complectatur, aut ex-  
qualiter sese extendat, quam subje-  
ctum, necesse est, subiectum inter-  
dum minus latè se extendere, nun-  
quam vero plus complecti, quam  
prædicatum: hoc respectu, *Minor*  
*terminus* appellari solet.

12. *Tertius terminus*, qui assumi-  
tur ad convenientiam, vel diversi-  
tatem, quæ inter *subjectum* & *prædi-  
catum* questionis, sive inter ma-  
jorem & minorem terminum in-  
tercedit, explorandam.

T

13. Ap-

13. Appellatur etiam *Medium* seu *Argumentum*; qvoniam medium est qvo intercedente subiectum cum prædicato qvæstionis vel per affirmationem copulatur, vel etiam hæc duo à se invicem per negationem separantur.

14. Dicitur etiam argumentum vel quasi arbiter, cuius ope dignoscimus & exploramus, an subiectum cum prædicato conveniat, an vero ab eo differat.

15. Adeoque tertius hic terminus nihil aliud est, qvam *Ratio*, qvæ extrinsecè assumi, & excogitari debet, ad convenientiam subiecti & prædicati confirmandam, vel diversitatem eorum prodendam.

16. Nota tamen, ex tribus hisce terminis nullam veritatem nos posse colligere; neqve ope mediæ convenientiam aut diversitatem, qvæ inter subiectum & prædicatum qvæstionis intercedit, explorare;

re; nisi comparationem inter illos instituamus, ipsumqve medium, terminum, tanquam mensuram, subiecto & prædicato qvæstionis applicemus;

17. Atqve ea ratione exploremus qvomodo subjectum & prædicatum sese habeant ad illud medium:

18. An nimirum utrumqve cum eo conveniat, an vero alterutrum congruat, alterutrum vero differat:

19. Neq; sufficit, ut alterutrum illorum cum medio termino conjugatur, qvia ex applicatione alterutrius termini, *subjecti* nimirum, aut *predicari* qvæstionis, ad medium tanquam ad mensuram, nihil aliud innotescit, qvam qvæ ratione terminus ille, qvi cum medio comparatur, sese habeat ad medium:

20. Non autem qvo pacto duo illi termini sese habeant ad se invi-

cem, qvod tamen legitima argumentatio præstare debet.

21. Ita exempli gratia, posito qvod demonstrandum sit, *Corpus esse extensum*, ope hujus medii, qvia *constat materia*, ex solius corporis ad materiam applicatione, innote scere tantum poterit convenientia corporis cum materia, sive, *corpus materia constare*;

22. Non autem ex eo innotesce re poterit, qvod probandum erat videlicet, qvod corpus sit extensem; nisi, uti corpus fuit cum materia comparatum, ita qvoque *extensio materiae* applicetur hoc modo:

*Qvod constat materia, est extensum.*

*Omne corpus constat materia.*

*Ergo Omne corpus est extensum.*

23. Hinc ut auxilio medii innote secat, qva ratione partes qvæstionis

nis ad invicem se habeant, reqviratur ut uterque terminus, puta *subjectum & prædicatum* qvæstionis cum medio comparetur; eidemq; veluti mensuræ suæ applicetur.

24. Atq; ve ex hac comparatione duarum id earum, sive duorum terminorum, ac notionum, oritur deinde affirmatio & negatio; qvæ thematibus complexis propria est.

25. Hoc est, Enunciationes & propositiones, qvæ proxima & immediata syllogismi materia communiter vocari conseruit.

26. Propositiones hujusmodi tres numero esse debent.

27. Cum enim præter conjunctionem subjecti & prædicati qvæstionis, ex qva oritur conclusio, in syllogismo reqviratur, ut medium utriq; illi termino seorsim applicetur; ac ex qualibet ejusmodi comparatione medii enunciatio-

T 3 resul-

resultet, duæ in syllogismo dari debent propositiones, ex coniunctione mediæ termini cum singulis quæstionis partibus resultantes; & præter illas tertia, quæ conclusio dicitur.

28. Præterea, cum propositiones syllogismi simplicis, simplices esse, id est, uno subjecto & uno predicato constare, conseqventer ex duobus tantum terminis combinatis oriri debeant;

29. Cumque Syllogismus tribus tantum constet terminis, necesse est tot diversas in Syllogismo admittere propositiones, quot diversis modis combinari possunt tres illi termini.

30. Illi autem triplicem tantum admittunt combinationem, ut patet perspicue ex combinatione trium literarum A. B. C. tres terminos representantium: nempe:

C. B.

C.	B.
A.	C.
A.	B.

31. Unde sequitur tres tantum, diversas propositiones in syllogismo simplici esse admittendas.

32. Quæ tres propositiones, distinctionis ergo diversam sortiuntur denominationem, quæ non ex diversitate situs, quem propositiones illæ inter se habent, desumitur, sed ex diversitate partium, quibus constant; hinc *Major*, *Minor*, & *Conclusio* dicuntur.

33. Dixi has denominations, non ex diversitate situs desumi, quia ut ut plerumque id obtineat, ut major propositione primo loco ponatur, & minor secundum sibi vindicet, hoc tamen semper non fit, sed contrarium sæpe, ut in multis sophismatibus, ut:

Nullus lapis est homo

Aliquod corporeum est homo

T 4

Ergo

Ergo Aliqvis lapis non est corporeus.

34. Hic Sophista, ne videretur in legem secundæ figuræ, quæ maiorem universalem reqvirit, peccare; quod accideret, si propositiones eo ordine, quo naturaliter oportet protulisset; facile enim, animadverti posset syllogismi illius majorem esse particularem, ideo ordinem invertendo effecit, ut major censeatur esse minor ac contra, atque fraudem suam hoc modo ceiat: aut concludendum erit: Ergo aliqvod corporeum non est lapis.

35. Major Syllogismi propositione, vocatur illa, quæ majori termino, id est, prædicato questionis, & *Medium* constat.

36. Minor, assumptio etiam dicta est, quæ ex *subjecto* questionis, & eodem *Medium* constatur.

37. Conclusio, quæ iisdem partibus constat, quibus questione.

38. For-

38. Formantur autem hæ propositiones, ac syllogismi hac ratione. Cum aliquæ proponitur quæstio probanda vel refutanda, excogitare oportet rationem vel medium, cuius ope quæstio probari, vel refutari poterit:

39. Deinde partes propositionæ quæstionis distinguendæ veniunt, ac videndum quid subjectum, quid questionis prædicatum sit:

40. Quo facto, debet medium, quod excogitavimus semel cum, subjecto, & semel cum prædicato conferri.

41. Si conferatur primo cum, questionis prædicato, resultabit major propositione:

42. Si autem conjungatur deinde idem medium, cum subjecto questionis, fiet minor propositione.

43. Denique si ipsa questione profita assumatur, eiique loco particula An, præponatur particula

T s con-

conclusiva Ergo, erit transformata  
in conclusionem.

44. Atque hoc facile in præ-  
xin deducere possis, concipias  
quamlibet quæstionem proposi-  
tam sub literis A & B. qvarum A,  
denotet quæstionis subjectum; B,  
ejusdem prædicatum, Medium ve-  
ro cuius ope quæstionem proposi-  
tam probare, vel refutare tentas,  
sub litera C, illasqve literas ea rati-  
one conjungas, quæ terminos, ad  
syllogismum ex iis conficiendum,  
conjungendos esse modo diximus,  
hac scilicet ratione:

C. cum B. fit major propositio.  
A. cum C. fit minor.

A. cum B. fit conclusio.

Et haec tenus de syllogismorum  
materia; sequitur eorundem  
*Formas.*

## De Formis Syllo- gismorum.

1.

**F**orma syllogismorum consistit,  
in recta terminorum, ex quibus  
propositiones fiunt, dispositio-  
ne; & in legitima determinatione  
propositionum, quibus syllogismus  
constat.

2. Adeoque termini prius certo  
modo inter se debent connecti,  
antequam ex iis propositiones fi-  
ant:

3. Deinde ut ex illis propostio-  
nibus legitimus fiat syllogismus,  
reqviritur, ut propositiones debito  
modo, ratione quantitatis & qualis-  
tatis determinentur.

4. Hujusmodo terminorum  
dispositio, Figura vocari solet.

5. Determinatio autem propositionum, *Modus* dicitur.

6. *Figura* notat legitimam dispositionem medii termini, cum subjecto & prædicato questionis.

7. Tales naturaliter & directè concludentes vulgo tres diversæ admitti solent.

8. Harum Prima est, in qua medium terminus in majore propositione est subjectum, in minore vero prædicatum.

ut in hoc syllogismo,

Omnis homo est animal,

Petrus est homo.

Ergo Petrus est animal.

9. Secunda est, ubi medium terminus & in majore & in minore propositione est prædicatum, ut

Nullus homo est lapis.

Omnis adamas est lapis.

Ergo Nullus adamas est homo.

10. Tertia est, cum medium in utraque propositione est subjectum,

Etum,

Etum, qvod in hoc exemplo obtinet,

Omnis animal sentit.

Aliquod animal est homo.

Ergo Aliquis homo sentit.

11. MODUS est propositionum determinatio, ratione quantitatis & qualitatis.

12. Quantitas propositionum, licet quadruplex sit, nimirum Universalis, particularis, indefinita & singularis: In syllogismorum tamen Modo, triplex tantum consideratur, nempe: Universalis, Particularis, & singularis.

13. Qualitas est debita propositionum, syllogismum constituentium, modificatio, ratione affirmacionis & negationis.

14. Adeoque modus requirit, ut syllogismi propositiones debita ratione affirmentur, aut negentur, & universales, particulares, aut singulares sint.

15. Modi syllogismorum directe concludentium, aut universales sunt, aut singulares, non autem particulares, nam ex propositionibus particularibus, nihil recte concluditur.

16. Modi syllogismorum *Universales* sunt, quorum medium terminus, ad minimum semel universaliter accipitur.

17. *Singulares* autem sunt, qui medium terminum singularem habent.

18. Propositiones syllogismorum Universalium, quatuor modis modificari possint:

19. Velenim esse possunt universaliter affirmantes, quod litera A. exprimit.

20. Vel Universaliter negantes, quod litera E. denotat.

21. Vel particulariter affirmantes, quod litera I. signat.

22. Vel particulariter negantes,

quod

quod litera C. ostendit, juxta distinctionem:

Afferit A. negat E. verum generaliter ambæ.

Afferit I. negat O. sed particulariter ambæ.

23. Et licet ex quadruplici hac propositionum modificatione, sexaginta quatuor modi syllogismorum fieri possint, paucissimi tamen ut legitimi sunt admittendi.

24. Atque in prima figura quatuor tantum, ut legitime concludentes, tolerari possunt, qui vocabulis barbaris, BARBARA, CELARENT, DARI, FERIO solent exprimi.

25. In secunda figura idem quatuor legitimi tantum dantur, hisce nominibus expressi CESARE, CAMESTRUS, FESTINO BAROCO.

26. Simili ratione in tertia non plures quam sex legitimos dari mo-

modos, puta dA rAptI, fElAptOn,  
dIsAmIs, dAtIsI, bOcArdO, fErI.  
sOn: reliquos autem vel distin-  
ctos non esse, aut in hanc illam ve  
syllogismorum legem, qvæ omnis  
argumentationis fundamentum  
esse debet, impingere, manifestum  
est.

## CAPUT XXV.

De Legibus Syllo-  
gismorum simpli-  
cium;

## I.

**H**A Etenuis qvæ Materiam &  
Formam syllogismorum  
respiciunt proposuimus;  
considerandas nunc se se exhibent  
Leges: qvæ sunt Generales & Speci-  
ales.

2. Generales sunt, qvæ in omni-  
bus

## LOGICÆ CARTESIANÆ. 449

bus syllogismis, cujuscunq; fue-  
rint figuræ, debent observari.

3. Speciales verò qvæ certæ syl-  
logismorum figuræ sunt propriæ.

4. Legum generalium prima,  
ac præcipua est, *in syllogismo non de-  
bent esse plures termini, nec pauciores  
tribus.*

5. Contra hanc legem, plures  
terminos qvam tres adhibendo,  
peccatur vel *expresse*, vel *implicite*.

6. Expresse, qvando plures illi  
termini diversis vocabulis expri-  
muntur, ut:

Omne animal sentit.

Aliqvis angelus non est  
homo.

Ergo Aliqvis angelus non sentit.

Facile enim cuivis hunc syllo-  
gismum audienti palam est qvatu-  
or hosce terminos diversis voca-  
bulis expressos, in eo contineri,  
nempe, *animal*, *sentit*, *angelus*,  
*homo*.

7. Im-

7. *Implicitè* peccatur contra hanc legem, qvando vitium occultatur, ita ut è primo verborum intuitu non statim pateat, an syllogismus tribus, an qvatuor terminis constet, & qvinam qvatuor illi termini sint, &c.

8. Variis modis hæc fallacia à Sophistis occultari consuevit, ex qvibus hi sunt præcipui:

9. *Primò*, qvatuor terminis constat syllogismus, qvoties conjungitur in minori propositione, qvod separatum fuit in majore aut conclusione.

10. *Secundò*, qvando contrario modo separantur in minore, vel in conclusione, qvæ conjuncta fuerant in majore.

11. *Tertio*, qvando vocabulum ambiguum est, & aliter in majore, qvam in minore propositione accipitur.

12. *Quareò*, qvando oratio ambigua,

bigua, qvæ aliter in una, qvam in alia propositione accipitur.

13. *Quintò*, ubi vocabulum aliqvod in una propositione abstractam, in alia vero concretam habet significationem.

14. *Sexto*, si vox in una propositione substantiam, & in alia vero qvidqvam aliud præter substantiam notet.

15. *Septimò*, cum casus nominum, vel tempora, aut modi verborum permutantur.

16. *Octavò*, qvando terminus in una propositione absolute ac simpliciter fuit acceptus, in altera restriktè, aut cum limitatione sumitur.

17. *Nonò*, si vocabula in una propositione accipientur materialiter, id est, ut vocabula, & in quantum literis, vel syllabis, tanqvam materia constant, in alia vero formaliter, id est pro re significata.

18. De-

18. *Decimò*, qvando modus alii termino additur in majore propositione, qvam in minore, vel etiam qvando aliis modus ponitur in una, qvam in alia propositione.

19. *Undecimò*, ubi terminus in una propositione adhibetur pure, in altera vero modaliter, ut loquuntur.

20. *Duodecimò*, cum restrictio alii termino additur in majore, qvam in minore propositione.

21. *Secunda lex generalis est*; Non debet esse plus, aut minus in conclusione, qvam fuit in præmissis.

22. Accipienda autem est lex hæc, non de quantitate, sed qualitate propositionum, seu terminorum.

23. *Tertia lex est*, medius terminus neque totus, neque pars ejus, debet in conclusione collocari, unde hic versicolorus:

Lex

*Lex generalis erit, medium concludere nescit.*

24. Fundamentum hujus legis est, qvia conclusio revera non distingvitur à quæstione; medius vero terminus, non ponitur in quæstione; qvia quæstio non est quæstio, ubi medium ipsi conjungitur;

25. Debet enim propter medii conjunctionem, certi aliquid affirmare vel negare. &c.

26. *Quarta lex est*, ex duabus præmissis negantibus non sequitur conclusio, qvæ hoc versiculo exprimitur:

*Partibus ex puris sequitur nihil arg.  
negatis.*

27. Hujus legis necessitas ex eo fluit, qvod per medium terminum studeamus cognoscere, an subiectum quæstionis cum prædicato conveniat, annon.

28. Hoc autem ope medii termini cognosci nequit, si medius termi-

terminus neq; ve cum subiecto, neq; ve cum prædicato ejus conveniat.

29. *Quinta lex est*, ex duabus præmissis particularibus recte nihil concludi potest.

30. *Sexta lex est*, *Conclusio sequitur partem debiliorem*. Qvæ lex non de veritate vel falsitate propositionum intelligenda est, sed de universalitate, particularitate, affirmatione & negatione enunciationum.

31. Ratio hujus legis in eo fundata est, qvod effectus non possit esse nobilior sua causa & qvivoca, conclusio autem est effectus præmissarum, &c.

32. Et hactenus leges syllogismorum generales seqvuntur speciales, qvæ pro triplici syllogismo- rum figura, tres numero habentur.

33. *Prima lex reqvirit*, ut in syllogismis primæ figuræ major proposicio sit universalis, & minor affirmans.

34. No-

34. Nota, hanc majoris universalitatem non reqviri in omnibus primæ figuræ syllogismis, sed tantum in iis, qvorum minor universalis simplicem conversionem non admittit.

35. *Secunda lex specialis est*, syllogismi secundæ Figuræ debent habere majorem propositionem universalē, & alterutram propositionem præmissarum negantem.

36. Namq; si major non fuerit universalis, sed particularis, proceditur à non distributo, ad distributum ; id est, terminus in conclusione ut universalis accipitur, qvi tamen non fuit universaliter sumptus in præmissis.

37. *Tertia lex specialis est*, Minor, Tertiæ Figuræ debet esse affirmans, & conclusio particularis.

38. Solent Logici etiam alias syllogismorum simplicium species tractare, ut sunt syllogismi Expositi.

positorii, qvas hic recensere inutile esse puto, utpote qvæ ad nihil aliud fere inserviunt, qvāqvod subministrant materiam, qva disputari, vel potius garrire potest in utramque partem, qvare judicium labefactatur, inventio omnis extinguitur, & pessima contrahitur consuetudo semper contradicendi cuilibet.

39. Atqve hos disputatores non tam veritatis, qvam victoriæ avidos facit, qui putant se tum demum ingeniosos videri si nihil certi habeant, eosq; contentiosos, & nihil nisi lites amare facit.

40. Videamus tamen qvædam alia, qvæ ad nostrum scopum prius accedunt. Sunt autem illi qvos vulgo syllogismos compositos vocant.

## CAPUT

## CAPUT XXVI.

## De Syllogismis Compositis.

I.

*S*yllogismus Compositus est, qui in plures syllogismos resolvi, vel in quo altera vel ultra proppositio est composita.

2. Distingvitur syllogismus Compositus in eum qui propositione, vel propositionibus tantum, constat compositis; & in eum qui è pluribus syllogismis est conflatus, in qvos & facile resolvi potest.

3. Prioris generis iterum distinguuntur, pro diversitate Conjunctionum Grammaticalium, in syllogismum Hypotheticum, Disjunctivum, Copulativum, & Relativum.

4. Posterioris generis, in Dilemma, Soritem, & Prosyllogismum.

V

5. De

5. De qvibus hoc in primis in genere notari velim, qvod hæ syllogismorum formulæ ad civilem, conversationem magis sint accommodatæ, & in quotidianis sermonibus magis usui veniant, quam illæ alteræ de qvibus in præcedentibus actum est:

6. Qvæque in publicis Scholærum exercitationibus magis usurpantur & ad eas solas fere spectant, extra quas nullius pene sunt usus.

7. Qvis namqve inter colloquendum his syllogismis, nisi ineptissime freqventer uteretur, si quis tamen eos adhibet, raro observat ordinem in scholis usitatum. Sed maneat hæc.

8. *Syllogismus Hypotheticus* est, qui non absolute, aut directè colligit veritatem aliquam, sed ex suppositione, proindeqve propositionibus hypotheticis constat,

9. Illa propositionum simplicium,

um, cui conditio apposita est, *Antecedens* dicitur: Altera qvæ in illa veritatis suæ fundamentum habet, eiqve innititur vocatur *Consequens*.

10. Syllogismus hypotheticus est triplex; velenim solam majorem propositionem habet hypotheticam, ac plures propositiones involventem, minorem vero & conclusionem simplicem:

11. Vel major ejus est simplex, minor vero & conclusio conditonalis.

12. Vel majore, minore, & conclusione hypothetica constat.

13. Si major sit hypothetica, minor vero simplex, seu categorica, conclusio etiam est categorica.

14. Si autem major sit simplex, minor vero hypothetica, conclusio etiam hypothetica esse debet, conclusio enim naturam præmissarum sequitur, & termini tales esse de-

bent in conclusione, quales in præmissis fuere:

15. Modi syllogismorum hypotheticorum recte concludentium duo tantum dari possunt. Primus est, quando à positione antecedentis, proceditur ad positionem consequentis.

16. Secundus modus est, cum à remotione consequentis, proceditur ad remotionem antecedentis.

17. Per Positionem, & Remotionem, in syllogismis hypotheticis non intelliges affirmationem aut negationem, quasi ponere sit affirmare, removere sit negare;

18. Sed ponere significat probatum, vel positum eodem modo repetere, quo prolatum vel positum fuit.

19. Removere autem est oppositum proferre ejus, quo prolatum fuerat, nempe affirmatum negare, & negatum affirmare, non simpliciter, sed cum contradictione.

20. Adeoque

20. Adeoque vitiosæ reputandæ sunt hypotheticæ argumentationes procedentes à positione consequentis, ad positionem antecedentis; Vel à remotione antecedentis ad remotionem consequentis.

21. Ratio autem vitiositatis harum argumentationum in eo consistit quod Enunciatio hypothetica non absolute & simpliciter consequens ponat, vel afferat, sed cum conditione, posito scilicet antecedente.

22. Unde ex positione antecedentis illius, recte potest colligi consequens admittendum esse; Sed non contrario modo.

23. Observa denique, quod in syllogismis hypotheticis ex Majore, absolute negatâ, legitima non sequatur Conclusio.

24. Quia conditio in Enunciatione hypothetica non absolute quid ponit, sed præsupposita con-

V 3 ditio-

ditione, qva remota absolutè verum manere potest illud, qvod posita conditione conditionaliter verum erat. Sed de his & similibus pleni sunt Logicorum libri.

25. Qvæ autem de reductione syllogismorum hypotheticorum ad categoricos, subtiliter magis, qvam utiliter exhiberi solent, prætereunda etiam judicamus, cum in disputando difficile ut plurimū sit ea in praxin redigere.

26. Et probationes, qvæ mediabantibus syllogismis hypotheticis efformatæ, juxta duos modos qvos supra legitimos esse diximus, instituuntur, & qve vere, & naturaliter procedant, & concludant, qvam qvæ mediantibus syllogismis categoricis eliciuntur.

27. *Syllogismus Disjunctivus* dicitur, cuius major propositio constat membris duobus vel pluribus, particula disjunctiva, aut, vel, sive, à se invicem separatis;

28. Ho-

28. Horum syllogismorum tota vis consistit in exquisita membrorum divisione, ut ea nimisimum immediate sint opposita, vel, si plura, sint ut omnia enumerentur.

29. Recte itaq; syllogismus Disjunctivus procedet si sit Bimembribus ab unius positione ad alterius remotionem; & ab unius remotione ad alterius positionem.

30. *Copulativus syllogismus* est, cuius major propositio pluribus subjectis, vel pluribus prædicatis, conjunctione copulativa inter se conexis constat.

31. *Syllogismus Relativus* est, cuius partes constant mutua relatione.

32. In his syllogismis observandum, ut in minore assumatur terminus minus universalis, qui continetur sub termino generaliori in majore expresso, ut in hoc: Qualis magistratus, tales sunt sub. At bonus est magistratus (diti.

V 4

Ergo

Ergo Boni sunt subditi.

33. Syllogismi ex pluribus syllogismis compositi, sunt *Primo Dilemma*:

34. *Dilemma* est argumentatio quæ facta membrorum disjunctione, de toto concluditur id, qvod conclusum hypotheticæ fuit de singulis ejus partibus, vocatur etiam syllogismus *Cornutus*.

35. Hæc argumentatio ad Rhetores magis quam ad Philosophos pertinet, & innititur propositione quadam disjunctiva ut dixi, & à partium remotione concluditur remotio totius.

36. Ut autem *Dilemma* legitime procedat, requiritur, ut membra immediate fuit opposita, & omnia plene enumerata, alias enim argumentum non stringet, neq; ex omni parte feriet.

37. Adeoq; *Dilemmate* qui utitur cavarere debet, ne tale sit, ut idem con-

contra ipsum retorqueri possit, qvod Protagoram fecisse refertur: Cum enim Euathlus hoc *Dilemma* te in ipsum uteretur: Aut cadam hac causa aut superior evadam: si cadam nihil tibi ex pacto debeo; si superior evadam, ex sententia: Protagoras hoc argumentum ita reterit. Aut cades hac causa, aut superior evades: si cadas, debebis ex sententia; si vinctore evadas, ex pacto.

38. *Sorites* est argumentatio consistans variis syllogismis primæ figuræ, quorum propositiones ita sunt concatenatae, ut prædicatum prioris propositionis fiat subjectum sequentis, tandemq; ex primæ propositionis subjecto, arg; ex ultimæ propositionis prædicato eliciatur conclusio.

39. Requiritur autem ut *Sorites* legitime procedat, primo, ut illa quæ conjunguntur subordinata sint, &

ab individuis ad species, vel à species ad genus assurgatur.

40. *Secundò*, reqviritur, ne confundantur notiones primæ cum secundis, aut illa qvæ rei per se competunt, cum iis qvæ per accidens, neq;e vocabula ambigue accipiuntur; nec qvicquam eorum in *Sorite* obtineat, ex quo plures terminos qvam tres in syllogismo simplici resultare posse vidimus. Secus si obtineat vitiosus erit.

41. *Tertio*, reqviritur in *Sorite*, ut præmissæ sint affirmantes non negantes, excepta tamen illa qvæ proximè antecedit conclusionem.

42. *Quarto*, inter primam & ultimam *Soritis* propositionem particularis interjici nequit, nam alias erit vitiosus, poterit tamen prima propositio esse particularis.

43. Deniq;e in *Sorite* reqviritur, ut termini inter se sint necessario coherentes, proindeq; ut constituant

ant propositiones veras, nam veritas conclusionis in *Sorite* non in una, sed in omnibus præmissis fundata est.

44. Atq; hic modus argumentandi apud Geometras maxime est in usu, dum propositionem propositioni connectendo tandem ad desideratam conclusionem perverniunt.

45. *Pro-syllogismus* est, qvando duo syllogismi qvinq; propositionibus ita connectuntur, ut conclusio prioris sit major, vel minor sequentis syllogismi.

46. Hi, qvia aetu plures syllogismos includunt, ad normam syllogismorum simplicium efformari debent, legesq; in syllogismis simplicibus requisitæ, & in hisce quoq; retinendæ, ac observandæ sunt.

47. *Enthymema* est argumentatio, in qva ex una præmissa expressa, & altera subintellecta, conclusio colligitur.

48. Hic

48. Hic modus argumentandi menti valde placet, in conversatione civili usitatissimus est, & ab oratoribus plurimum adhibetur. Et hæc de syllogismis tam simplicib⁹, quam compositis dicta sunt.

49. Qvæ omnia eo dirigantur, ut cogitationes tuas recte formare assūtivas, & postquam res cognitu dignas clare ac distincte percepisti, recteque de iis judicasti, percepta judicataq⁹ cum aliis communicare valeas.

50. Non tamen necesse est adeo rigidum examen quale hoc specimen exigit, de rebus qvæ ad usum vitæ spectant instituere. Nam alias rerum agendarum occasio præteriret, anteq̄uam nos dubiis nostris exolvere possemus, cum tamen sp̄ius agere obligati sumus, licet dubiis omnibus nos expedire haud queamus.

51. Certæ tamen regulæ, ac modi  
hac

hac etiam in re servandi sunt, sine quibus alias in actionibus nostris merito culpandi essemus.

## CAPUT XXVII. De Regulis qvæ in actionibus ad usum vitæ spe- ctantibus, sunt obser- vandæ.

1. Oronidis loco hic regulas quasdam subjicere non erit inconsultum, qvæ in usu vitæ maximè sunt necessariæ.

2. *Prima Regula* qvæ observanda videtur, ut actiones nostræ justæ sint, est, ut nostris judiciis respondent, nam judicia nostra respondere debent, si rationalia sint, perceptionibus:

3. Ut autem huic regulæ satis fiat, cavendum nobis est, ne judicium formemus eo tempore, cū passionibus sumus expositi,

4. Neq; debemus super percepti-  
onibus obscuris, & sensuum confu-  
sis, qvæ s;æpe judicia nostra vacilla-  
re facere possunt: sed super eo, qvod  
lumen rationis nostræ dictat, &  
qvando à passionibus sumus liberi,  
judicium ferre & exponere.

5. Secunda regula est, ut qvando  
dubitamus & vacillamus, modo res  
differri possit, ne agamus, nam sec<sup>o</sup>  
si eo tempore egerimus, qvam cun-  
que partem amplectamur, pœni-  
tentia nos exponemus.

6. Ut autem præparati simus con-  
tra hanc animi vacillationem, utq;  
ad judicandum bene dispositi in o-  
mnibus occasionibus simus, prom-  
pteq; recta eligamus, tres aut qua-  
tuor veritatis obseruādē sunt regule  
qvas Dn. Des Cartes in Epistola se-  
ptima ad Princ. Elisabetham adeo  
accurate proposuit, ut nihil utilius  
ad rem præsentem proferre possim,  
qvam si eas hic adducam.

7. Pri-

7. Prima & præcipua est, Deum esse,  
à quo omnia pendent, cuius perfectiones  
sunt infinitæ, potestas immensa; decreta  
infallibilia: bac enim ratione docemur  
casus nostros omnes à quo animo accipere  
ut pote à Deo nobis haud temere immisso.

8. Secundum qvod venit cognoscendū,  
est anima nostra natura, quatenus absg<sub>3</sub>  
corporessubsistit, atq; illo longe nobilior  
est, & innumerarum, qvæ in hac vita non  
occurrunt, voluptatum capax: id enim  
mortis metum depellit, affectusq; nostros  
à terrenis ita divellit, ut non sine con-  
temptu omnia ea, qvæ à fortuna & arbitrio  
pendent, despiciamus.

Qvamvis autem mors metuenda  
non sit non tamen propterea vita odio est  
habenda, qvia in nostra potestate sitū esse  
scimus, eam qvam felicissimam reddere.

9. Tertium qvod notandum, est ut de  
Dei operibus digne statuamus, vastamq;  
banc de extensione universi ideam habeam-  
us, qvam conatus sum in tertio princi-  
pio meorum librorum describere.

10. Si

10. Si enim concipiamus nihil esse extra cælos preter spatiæ imaginaria, cælosq; omnes non nisi terræ causa factos esse, terram vero hominis; hinc fiet, ut propendeamus ad cogitandum, terram hanc esse præcipuam nostram sedem, bacque vita melius nihil ad nos pertinere.

11. Et si verarum, quæ in nobis sunt, perfectionum cognitione omissa, eas, quibus carent, imperfectiones, aliis creaturis affingamus, ut nos supra illas efferamus, atq; inepte superbientes velimus esse Deo à consiliis, mundiq; cum illo regimen scipere, id vero inanes sollicitudines & agritudines innumeræ pariet.

12. Quarto observandum est, quod, quamvis qvilibet nostrum personam constitutat ab alio distinctam, & cuius proinde res ab orbis reliqui rebus aliquo modo dirisæ sunt, nihilominus cogitare debemus, non posse qvempiam per se solum subsistere, & revera nos ex partibus universi unam, & potissimum unam ex his, Terræ partibus, hujus videlicet politia, societatis,

societatis, familie, qvi cum domicilio, sacramento, nativitate conjuncti sumus; totius autem, cuius pars sumus, bonum, privato bono debet anteponi: hoc tamen cum modo & ratione, insipienter enim semagno malo qvis exponeret, exiguum tantum cognatus, aut patriæ bonum conciliaturus; & si quis per se solus reliqua sua civitate præstantior esset, nulla esset ratio cur illius salutem sui jactura redimeret.

13. Tertia regula est, nos pro certo perswasos esse debere, qvod cunctæ mentis nostræ actiones, qvæ perfectionem aliquam nobis adferunt, sint virtuosæ, adeoq; omnem nostram Æuropæiam consistere unicè in interno illo testimonio, quo certi sumus nos aliquam perfectiōnem possidere.

14. Qvarta est, ut de magnitudine tranquillitatis qvam ex actionibus nostris virtuosis promittere nobis possumus, non ex sensus passionum nostrarum persuasione judicemus, sed

sed ex ratione nostra, quæ ostendit nos perfectionem aliquam acquirere.

15. Quinta est, ut præferamus felicitatem ex bonis animi procedentem, bonis quæ ex corpore, in quantum priora illa propius nos tangunt atqueorum tantum possessio à nobis pendet, cum mens semper eadem sit, & sola fœlicitatis capax, corpus vero perpetuo mutetur.

16. Sexta est, ut tam mentis, quam corporis perfectionum valorem perpendamus, omneq; studium adhibeamus, in acqvirendis iis, perfectionib. quæ maxime optande sunt si omnes habere non possimus.

17. Nam et si fortuna nostris contibus illudat, adeo ut optata assequi nequeamus, illud tamen solam in his habebimus, nos nihil nostra culpa perdidisse.

18. Nullamq; molestiam nos inde sentiemus, licet fortuna consilia nostra irrideat,

19. Se-

19. Septimo id tamen tunc maxime asseqvemur, si considerationi isti fuerimus assueti, nimirum bona quæ à nobis non dependent, una non minus quam altera, à potestate nostra esse remota, nam hinc fiet, ut nos ea cum inquietudine & animi anxietate non desideremus, talia enim desideria beatitudinē destruunt; illa vero quæ ultra vires nō extendimus, materiam nostræ fœlicitati ministrant.

20. Octava est, ut consuetudines & leges hominum inter quos vivimus, & quibus si nec rectæ rationi, nec veritatibus à Deo revelatis adversentur, obtemperare debemus, cum studio examinem⁹, ut sciam⁹ quousq; nimirū illis obseqvi teneamur.

21. Et licet omnium rerū demonstrationes habere haud possimus, oportebit tamē alicui parti accedere, opinionesq; amplecti maxime communes, & moderatas de rebus, quæ vulgo obtinent.

22. No-

22. Nona est, ut voluptates corporis, licet voluptatibus mentis longe sint inferiores temere ne rejiciam⁹, qvando nimirum rationi & revelationi nō aduersentur, moderari tamē oportet, ne nimia anxietate eas sectemur, neq; studendū est, ut nullas habeamus passiones, verum ut eas rationi subjiciamus.

23. Decima est, ut plus metuam⁹, ne rationis jacturam nostra culpa faciamus, qvam vitæ ipsius: nam absq; usu rationis felices esse haud possumus.

24. Undecima est, qvandoq; idem soli conscientiæ morsus, & pœnitentia animi cruciatus tranqvillitatem nostram turbare possunt, ut de nobis ipsis recte statuamus, utq; malis liberemur, summa ope nisi debemus, ut semper cum veritate fidele id testimoniū nobis exhibere possimus, nos nihil scilicet omisisse eorū qvæ in nostra potestate erant, ad cognoscendum id, quod erat optimū & rationi consecutaneum, neq; in exequendo illo animi proposito unquam defecisse.

25. Ultima est, ut perpetuo has regulas & præcepta meditemur, nam præter cognitionē veritatis, etiam habitus bene judicandi reqviritur:

26. Et qvia non semper ad eandē rem attenti esse possumus, licet claræ ac evidentes fuerint rationes, qvæ nobis semel veritatem alicujus rei persuaserunt; ideo facile possimus averti, qvo minus credamus propter falsas fucatasq; rationes, nisi longa & frequenti meditatione eam ita menti nostræ impresserimus, ut in habitum plane sit conversa.

F I N I S.

INDEX

## INDEX CAPITUM.

## INDEX CAPITUM.

Cap. I. Prolegomena,	pag. 1.
II. De Natura Logicæ	10.
III. De Veterum Philosophandi modo, eorumq; Sectis.	23.
IV. De Subjecto Veræ Logicæ	61.
V. De Primo Cognito	76.
VI. De Natura Mentis humanæ	94.
VII. De Mentis humanæ functionibus in se ipfa	144.
VIII. De Natura Substantiæ Corporeæ, maximè Hominis	157.
IX. De Facultatibus Corporis propriis	183.
X. De Unione Mentis cum Corpore	194.
XI. De Functionibus, qvæ ex unione Mentis cum Corpore resultant	222.
XII. De Modo, qvo Perceptiones intellectus nostri & determinationes voluntatis nostræ, regere debemus	244.
XIII. De Regula prima Veritatis	257.
XIV. De Anticipatis Opinionibus in judicando fugiendis	279.
XV. De Modo perveniendi ad claram & distinctam perceptionem	296.
XVI. De Universalibus	332.
XVII. De Regula Secunda Methodi Cartesiana; seu Præcepto secundo	353.
	XIX.

## INDEX CAPITUM.

XIX. De Regula Tertia Logicae Cartesianæ	369.
XIX. De Quarta Methodi Cartesianæ Regula	384.
XX. De Judicio s. Propositione	394.
XXI. De Ratiocinatione s. Argumentatione	412.
XXII. De Inductione	424.
XXIII. De Syllogismis	431.
XXIV. De Formis Syllogismorum	443.
XXV. De Legibus Syllogismorum similiibus	448.
XXVI. De Syllogisinis Compositis	457.
XXVII. De Regulis qvæ in actionibus ad usum vitæ spectantibus, sunt observandæ	469.



## Errata.

Pag. II. §.5. pro *viitligandi* lege *viti-*  
*tigandi*. p.41. §.84. lin. ult. dele *tur*. p.46. § 105.  
l.5. pro *Dialectical*, *Dialectica*. p.56. §.17. l.ult.  
pro *derogabat* l. *derogabit*. p.59 §.25. l.2. pro *de-*  
*rivatione* l. *deviatione*. p.95. §.2. lin. penult. pro  
*humana* l. *humana* p.117. §.74 l.1. pro *illustrius*  
*adferri posse*, l. *illustrius* his *adferri posset*. p.129  
§.119. l.4 pro *advenerit*, l. *adveniret*. p.139. §.  
150. l.ult. pro *deturbantur* l. *deturbenier*. p.144.  
§.173. l.ult. pro *substituta*, l. *substitura*. p.146. §.  
11. l.1. post *vocab.* *attiones del.* punctum. p.185. §.  
10. l.2. pro *automatol.* *automate*. p. ead. §.11. l.1.  
pro *Labor* l. *Calor* p.195. §.6. l.6. pro *se* l. sed. p.  
215. §.81. l.2. pro *fua* l. *sun*, p.227. §.20. lin. 8. pro  
*idem* l. *item*. p.246. §.27. l.1. pro *fortuna* l. *fortu-*  
*na* p.262. §.17. l. penult. pro *elare* l. *clare*. p.281.  
§.8. l. pen. pro *sigillatim* l. *sigillatis*. p.282. §.9.  
l.26. pro *intuimur* l. *imbui* l. *mer*. p.302. §.20. l.ult.  
*del.* *motus*. p.234. §.6. l.ult. l. *fi* *prof*. p.361. §.  
29 l.6. leg. *permissione* pro *permiffone*. p.408  
§.56. lin. ult. pro *nonceuribus* l. *non certis*.

МАТЕМАТИЧНИЙ

КАБІНЕТ

ОУЗ. Хм. Мат. Іа-т

Інв. № 273

НБ ОКУ имнї І.І.Мечникова

76

20-

Библиотека  
ГИИА  
25.6.89г.

293

НБ Онуимені І.І.Мечникова